

05 A 546

05

A

546



I. N. J.
DISPUTATIO SOLEMNIS,
De
PERSONA AC OFFICIO
CHRISTI,

ADVERSUS
STEPHANUM CURCELLÆUM,

QVAM
CONSENSU INCLYTÆ FACULTATIS THEOLOGICÆ,
IN ELECTORALI, QVÆ WITTEBERGÆ EST,
UNIVERSITATE,
PRÆSIDE

THEOLOGO CONSUMMATISSIMO,
VIRO SUMME REVERENDO, MAGNIFICO, AMPLISSIMO, ATQVE
EXCELLENTISSIMO

DN. ABRAHAMO CALOVIO,

SS. Theol. D. ac Profefs. Primario longè celeberrimo, Ecclesiæ
Wittebergensis Pastore vigilantissimo, ac Consistorii Assessore Seniore
meritissimo, ut & Circuli Electoral. Saxon. Superintendente
Generali gravissimo &c. &c.

*Dn. Præceptore, Patrono, atque Studiorum suorum Promotore incomparabili,
summâ observantiâ ad cineres usq; colendo, ac devenerando &c. &c.*

PRO CONSEQVENDA LICENTIA HONORUM DOCTORALIIUM,
PUBLICE IN ACROATERIO MAJORI

AD DIEM XXIX APRIL. A. clō lōc LXXX,
BONO CUM DEO,

DEFENDET

M. GEORGIUS *Schwarze*

Gryphiswald. Pomeran. Amplissim. Facult. Philosoph. hæctenus Adjunctus,
Jam in Illustri Collegio Gröningiano Stargardiensium SS. Theol. Pro-
fessor, & Ecclesiæ ibidem ad S. Johann. & Augustin.
Pastor vocatus.

Wittenb. Typ. Joh. Borekardi Acad. Typogr. Excud. Simon Sieberhirt.



I. N. J.

DISPUTATIO SOLEMNIS

ΧΡΙΣΤΟΛΟΓΙΚΗ,

DE

PERSONA ET OFFICIO CHRISTI.

CONTRA

STEPHANUM CURCELLÆUM,

ARMINIANUM.

§. I.



DE *Persona Christi* Arminianorum Antesignanus novissimus, *Stephanus Curcellæus* in Religionis Christianæ Institut: Lib. V. C. VI. thes. VII. ita docet, ut concedat quidem *duarum Naturarum, Divinae & humanae Conjunctionem*, ut loqui amat: sed quod ad *Divinam naturam* Christi attinet: non nisi Scepticè ac Pyrrhonice, de præcipuo illo fidei capite disputet, *quomodo* nempe *Filius DEI cum Patre & Spiritu Sancto unum* sit I. Joh. V. 7. *an solum voluntate, potentiâ, & operibus*, num verò etiam *essentiâ*? Quod definire, minimè necesse judicat; idq; *tum demum nos plenè cognituros* dicit, *cum ad eorum consortium in futuro seculo admitteremur* Lib. II. C. XX. §. XII. At, cum in notitia Filii DEI vita æterna sita sit, *Job. XVII: 3.* & ad eam requiratur, ut credamus, quod ipse sit *ὁ ἀληθινὸς θεὸς, καὶ ἡ ζωὴ αἰών.* I. *Job. V. 20.* ad vitæ æternæ consortium minimè admitti poterit, qui in Christum, verum cum Patre Deum non credit, quum omnes salvandi confiteri teneantur, Christum DEUM illum verū esse, in quem credendum, utpote qui in *Patris, Filii & Spiritus Sancti nomen* ideò baptizantur *Matth XXIX. 19.* quemadmodum illi demum salvandi dicuntur, qui in ipsum confidunt, ejusq; nomen invocant *Rom. X. 13. Joël. II. 32. Ps. II. 12.* Qui hîc non cum *Patre, & Spiritu Sancto* religiosè adorat Filium DEI, non poterit in alterâ vitâ Triunum illum DEUM, cum sanctis *Seraphim* celebrare: **SANCTUS, SANCTUS, SANCTUS JEHOVAH**

A

ZEBAOth

ZEBAOTH ES. VI 3. & cum quatuor animantibus Apoc. IV. 8. cantare;
 ἄγιος, ἄγιος, ἄγιος Κύριος, ὁ θεός, ὁ παντοκράτωρ, ὁ ἦν, καὶ ὁ
 ὢν, καὶ ὁ ἐρχόμενος. Qui non honorat Filium, ut Patrem in his ter-
 ris, Job. V. 23. non credit æq; in Filium, ut in Patrem Job. XIV. 1. non
 veniet per Filium ad Patrem vers. 6. neq; concinet olim sedenti in throno,
 Ἔσθ' ἀγνοῖ, ἢ εὐλόγια, καὶ ἡ βουλή, καὶ ἡ δόξα, καὶ ἡ ἰσχύς, εἰς τὰς
 αἰῶνας τῶν αἰώνων Apocal. V. vers. 13. Quæ dicta Job. V. 23. Apoc. V. 13.
 cultum ἔσθ' honorem divinum Christo exhibendum docere, Curcellæus ipse
 faterur Lib. II. Instit. C. XIX. Th. VI. eiq; Deitatem à Patre communica-
 tam, ἔσθ' naturæ divinæ proprietates in S. literis tribui agnoscit, utpote
 gloriam æternam Joh. XVII. 5. 24. omniscientiam Joh. XX. 17. scrutinium
 renum ac cordium Ap. II. 23. Omnipotentiam Phil. III. 3. rerum omnium
 creationem Joh. 1. 3. 10. Col. I. 16 &c. & è Matth. XXIX. 19. 2. Cor. XIII.
 13. 1. or. XII 4, 5, 6, apparere ait, Filium ἔσθ' Spiritum Sanctum ἔσθ' JUS-
 DEM cum Patre NATURÆ DIVINÆ consortes esse.

§. II. Quod verò divina natura tantum una essentia SPECIE sit,
 non una NUMERO, id repugnat toti Scripturæ, tollitq; SUMMUM Fi-
 dei Articulum, quod nempe UNUS tantum NUMERO DEUS sit, in
 quem credere, quem adorare, & invocare debemus, juxta primum præ-
 ceptum Tabulæ primæ legis divinæ Deut. VI. 4. Marc. XII. 29. unde non
 potest hic Curcellæi ἡὸ NON LIQVET c. X. §. 1. locum habere: si enim
 certum non est, DEUM verum UNUM NUMERO esse, & sintne tres
 NUMERO, an SPECIE Dii, ambiguum adhuc est, quod Arminianus
 ille vult, dubium utiq; erit, anne unum, an verò tres deos venerari, reli-
 giosè colere, atq; adorare teneantur, qui salutem adipisci volunt, & an-
 non Trinitatē etiam verè salutis & æternæ vitæ hæredes sint?

§. III. At Veteres, inquit Curcellæus C. X §. V. in suis adversus
 Arrianos disputationibus, ἡὸ ὁμοῦσιον de unitate SPECIFICA accepe-
 runt, quod clarum esse vult ex Symbolo Consilii Chalcedonensis, ubi dici-
 tur; Filium esse ὁμοῦσιον τῷ πατρὶ καὶ τὴν θεότητα, καὶ ὁμοῦσιον ἡμῶν
 καὶ τὴν ἀνθρώπινην. Homines enim omnes inter se consubstantiales sunt
 propter eandem specie naturam humanam, cujus participes sunt. Quod
 etiam è dialogo 1. de Trinitate Athanasii probat, in præfat. Operum
 Episcopi p. 796. seqq. in operibus suis. Verum ille dialogus Anonymi
 cum Orthodoxo non Athanasii est, sed longè post Athanasium, à Maximo
 fortè Monacho Constantinopolitano, qui Anno Domini 657. obiit, uti

COR-

conjecerat Rivetus in *Critico sacro* LIII C. 6. p. 255. conscriptus. *Symbolum* verò Athanasii, quod Catholicam fidem rectissime tradidit, jam ab *Augustino* in *Ps. CXX.* Athanasio vindicatum fuit: qui, de hoc sole, inquit, *Pater Athanasius Alexandrinus Episcopus pulchrè locutus est: non factus, nec creatus, sed genitus*; de quo contra *Henricum Nicolai* tractat: peculiari de autore & autoritate *Symboli Athanasiani* ante XXII. annos hîc fusius egimus.

§. IV. Neque ullo modo vero affine est, *Patres post Concilium Nicenum* aliter intellexisse *τὴν ὁμοουσίαν*, quàm primū antè *Concilium*, & in ipso *Concilio Patres τὴν ὁμοουσίαν* intellexerint. Jam verò non de ὁμοουσία SPECIFICA, sed NUMERICA, vel quod Filius ejusdem NUMERO ESSENTIÆ cum Patre sit, illi intellexerunt *τὴν ὁμοουσίαν* Filii cum Patre: quemadmodum in *Theologia Naturali & Revel. c. 1.* contra *Schlichtingium* p. 47. pluribus argumentis evicimus, qualia etiam *Henrico Nicolai*, easdem tibi cum *Arminianis* hic inflanti, in *Elencticis* ipsi oppositis, produximus, ad quæ nec *Schlichtingius*, nec *Arminianorum* quisquam hætenus, intra hæc XXXV. annos, quicquam reponere potuerunt, unde nolumus τὸ πρῶτον πρᾶττειν: quin persistimus, non immeritò, in confessione *Symboli Athanasii*, hic religiosè observandâ. *Quicumq; vult salvus esse, ante omnia opus est, ut teneat CATHOLICAM FIDEM: QUAM NISI QVISQUE INTEGRAM, IMMOTAM QUE servaverit, absq; dubio IN ÆTERNUM peribit.* Fides autem *Catholica hæc est: quod alia quidem sit persona Patris, alia Filii, alia Spiritus Sancti, sed Patris, & Filii, & Spiritus Sancti una sit divinitas, æqualis gloria, æterna Majestas; Æternus Pater, æternus Filius, æternus Spiritus Sanctus, non tamen tres æterni, sed unus æternus.*

§. V. Cui haudquaquam adversatur *Concilium Chalcedonense*, etsi *Christum* dicat nobis *consubstantialem, quoad humanam naturam, DEO Patri autem quoad divinitatem: quia divina natura non est, nisi NUMERO una; humana verò natura una est SPECIE, quum divina natura infinita, & independens sit: at plures naturæ infinitæ, & independētes, plures æterni, & infiniti DEI, teste Scripturâ, & consentiente sanâ ratione, esse non possint.* vid. *Theolog. Natur. & Revel. p. 518. seqq.* Quapropter, etsi plures homines numero diversi sint, Deos tamen numero diversos credere, verè est *ἄθεον, καὶ ἄλογον*, libro & *Scripturæ & Naturæ* prorsus adversum. Illa ergò collatio tantum est ratione VERITATIS acci-

pienda, non ratione UNITATIS ejusdem indolis & fortis. *Æquè enim veram naturam divinam* habet Christus, eandem nempe, quam Pater, uti *veram* habet *naturam humanam*, ejusdem nempe essentiae cum aliis hominibus: licet natura Christi humana specie tantum eadem sit, cum nostra, non numero: divina autem ejus natura ejusdem numero essentiae sit, cum Patre: quia à Patre non diversam naturam essentiam, ab æterno communicatam habet, ne plures dii numero diversi æterni & increati introducantur; quod in *Arrianis* damnat *Concilium Nicenum*, cui per omnia *Concilium Chalcedonense* subscripsit, ne utiquam verò illud abrogavit. Sed conferatur hic *Confessio Martyrum, & aliorum Ecclesiae* *Dd. usq; ad Concilium Nicenum* *Jona Schlichtingio* imprimis opposita, quæ adhuc immota persistit Anno 1658. hic *Witebergæ* post editionem *Rostochiensis* *Anni 637.* recognita, & Anno 1663. denuo recusa. Quid? quod *Socinianos* ipsos hic habeamus consentientes: *Valentinum* nempe *Smalcium*, & *Job. Crellium*, ut alios jam non adducam: quorum ille de *Error. Arrian. Refut. C. X p. 90.* ut una, inquit, NUMERO essentia DEI est: sic una numero ut sint omnia, quæ essentiam constituunt, NECESSE EST. Hic v. L. de DEO & Attrib. div. aliquot rationibus probat, è natura, quod Deus unus sit, & unius essentiae, siquidem supremum numen perfectissimum sit, nec ullo defectu laboret: Omnis a. multitudo ob defectum aliquem sit. Quod v. prorsus perfectissimum, UNICUM tantum est. Ideò rectissimè *Tertullian. L. I. contr. Marcion. DEUM* si non unus est, non est: & *Athanas. Orat. contr. Idol. ἡ πολυθεότης ἐστὶν ἀθεότης.* Ut & *Victorinus L. III. contr. Arian Deus est unus & LUS- QVAM NUMERO: quia in his rebus, quæ dicuntur esse unum NUMERO, licet semper reperire aliquam multitudinem, at in essentia divina non licet.*

§. VI. Discedit præterea *Curcellæus* non minus à *Scriptura Sacra*, quam à *Concilio Niceno* & *Symbolo Athanasii*, quando in *Patre solo summum Deitatis fastigium reperiri* *Lib. II. Instit. c. XIX. §. IX.* asserit, eiq; PRÆROGATIVAM SUPRA Filium & Spiritum Sanctum, & MAGNAM in deitate ὑπεροχὴν seu PRÆEMINENTIAM, assignat. Qui enim est DEUS SUPER OMNIA benedictus in secula, ille non agnoscit alium supra se magnam habentem præeminentiam. At de Christo Filio DEI verum est antecedens *Rom. IX. §.* è quo loco *Curcellæus* ipse fatetur *solide divinam naturam probari* *Lib. V. instit. c. VI. §. VII.* Ergò &

& Consequens. Et ubi *UNA* est divinitas, *æqualis gloria, æterna Maje-
 stas*, ibi nulla prærogativa, nulla præminencia locum habet. At in Patre,
 Filio, & Spiritu Sancto est una divinitas, æqualis gloria, æterna Maje-
 stas, ut è *Symbolo Athanasii* liquet. Et, annon juxta hanc Curcellæi
ειωνία tres ejusmodi dii necessariò statuendi erunt, quorum unus
MAGNAM præ aliis duobus sibi **SUBORDINATIS** habeat præemi-
 nentiam; annon ita ab æterno tres increatis immensi, & infiniti dii po-
 nendi, quorum alius præ alio præcellat, & præmineat? quod ne qui-
 dem homines gentiles admittent, solo naturæ lumine gaudentes. Unus
 revera est Deus, ait Sophocles. Quod de ipso quoque Aristotele *Lactan-
 tius* L. 1. de fals. Relig. C. 5. affirmat. Aristoteles, inquit, quamvis ipse
 secum dissideat ac repugnantia sibi dicat ac sentiat, in summa tamen
 unam mentem mundo præesse testatur. Et fatetur Joh. Crellius Socinia-
 nus L. de DEO & Attrib. dir. C. XVII. p. 172. Aristotelem unum tan-
 tum esse Deum, à nullo alio pendentem docere, idq; hac ratione osten-
 dere: quia multitudo dominantium non sit bona, unde L. XII. Metaph. c. 2.
 hoc Epiphonema habet: *ἔκ ἀγαθὸν πολυκοιρανιοῖς κοίρανθ' ἔστιν.*
 Non est bonum pluralitas principatum, unus ergo princeps. Quo pacto
 Trinitatem Gregorius Neo-Cæsariens. ante Nicen. Concilium, professus
 est: perfectam illam esse majestatem, ac sempiternitatem, unum Deum Pa-
 trem, unum Dominum Filium, unum Spiritum S. quæ regno neque di-
 vidatur, neque alienetur, in qua neque factum quid, aut serviens, neque
 superinducitur &c. & D. Cyprianus Tract. de Idolor. vanit. unum dicit
 omnium Deum, nec habere posse sublimitatem illam consortem, cum
 sola omnem teneat potestatem. Atque hæc contra hæresin Curcellæa-
 nam de *Natura divina Filii DEI*.

§. VII. De *humana natura Christi* hæc ejus occurrunt opiniones
 falsæ. 1. Quod etsi agnoscat, *Christum ex virgine Maria ita ortum esse,*
ut Semen ejus fecundum reddiderit Spiritus Sanctus, ut ex eo, tanquam
materia Christi corpus formari posset, sententiam esse non tantum apud
plerosq; Christianos tam Pontificios, quam Protestantes receptam; sed &
Scriptura MAXIME CONSENTANEAM Luc. I. 31. 42 Gal. IV. 4. ut &
Matth. I. 16 Siquidem non esset *JESUS* verè *Mariae Virginis Filius*, nec
Maria verè ejus *Mater*, &c. nisi ex *Maria* carnem suam accepisset, sicut
 alii homines &c. C. III. §. IV. **NIHIL** tamen **ABSURDI** in se habere
 eam opinionem, aut quod *Scriptura* repugnet, aut falsitatis damnandum
 sit,

fit, etiamsi aliquos NOVITATE sua offendat th. V. asserit, quod nempe Spiritus sanctus in hac generatione, id, quod ex parte viri deerat, suppleverit, creando immediatè in utero Virginis aliquam substantiam, ex qua cum ejus sanguine conjuncta Corpus Jesu formatum fuerit. Sed annon Scripturæ hoc apertè repugnat, quod Spiritus sanctus aliquid seminis creaverit, & contribuerit ad conceptionem Christi in utero virginis? annon ita Spiritus S. Pater erit Christi dicendus, & quidem magis Pater, quàm Maria mater ejus dicitur, utpote quem Curcellæus dicit plus materia contulisse ad illam conceptionem, quàm virgo Maria contulerit, & non minore jure prolis inde nata Patrem esse, quàm ipsa Virgo Mater existimanda est? annon absurdum, Spiritum Sanctum non tantum ἀμιγρῶς, sed συναμικτῶς concurrisse ad conceptionem Christi? Quod in Socinianis jam pridem confutatum. vid. Socinianismus profligatus Sect. VI. subsect. 1. C. 4. p. 283.


§. IX. (II) De Maria porro Matre JESU scepticè disputat Curcellæus, an è Davide familiam ducat, Lib. V. instit. c. IV. 5. i. imò nihil de Maria in Scriptura legi, dicit, undè constat, illà à Davide genus traxisse: quum tamè negari non possit, JESUM Davidis Filium esse Matt. I. 1. 2. Tim. II. 5. Christus ἀπατὴρ sit Ebr. VII. 3. & Apostolus testetur, Ebr. VII. 14. ἐξ ὀστέων Jesse, quod ex tribu Jude ortus sit Dominus: qui etiam virga de radice Jesse El. XI. 1. & germen justū David Jer. XXIII. 5. C. XXXIII. 15. dicitur. Conf. 2. Sam. VII. 12. Es. VII. 14. Luc. 1. 31. 32. Si quidè DEUS, etiam jure jurandò, Davidi promiserit, fore, ut aliquis de fructu è lumbis ejus sederet super solium ejus Ps. CXXXII. 11. Act. II. 30. de fructu ventris tui ponam super sedem tuam: Quod Petrus reddit de fructu lumborum tuorum. Ubi nequicquam ad hoc effugium sese recipit Curcellæus, non alienum esse ab usue Scripturæ, ut mulieris venter viri venter vocetur: cujus gratia profert Deut. XXIX. 4. sed ibi viros, & non potius totum populum, in quo utiq; etiam foeminae erant, S. S. alloqui, precariò assumi, Lucam verò non Mariae, sed Josephi genealogiam texere, temerè hinc asseritur à Curcellæo, quam Thesin ut sustineat, fingit mutationem in Textu Lucae factam, insertis nominibus Matthæ, & Levi §. IX. Sed de Genealogia à Luca descripta satis à nobis actum in Bibliis Illustratis ad N. T. ad Luca III. ubi etiam locus ex Africano adductus expentus p. 658.

§. IX. [III] Conjunctionem, vel Unionem duarum naturarum in Christo negat, in unius naturæ ab altera indistantia consistere Lib. V. Instit.

Tit. c. VI. §. IX. qualis in unione anima nostra cum corpore requiritur, quæ
dissolvitur statim, atq; illa loco separantur: ubi tamen καὶ ἑαυτοῦ αὐτῶν
fatetur, unionē illam factam esse ἀδιαίρετως, καὶ ἀχωρίτως, id est, indivi-
sibiliter, & inseparabiliter. Quod contra Nestorium Græcos doctores
asseruisse agnoscit: quemadmodum notissimum est, à Græcis Unionem
hypostaticam divinæ & humanæ naturæ passim conferri cum Unionem
naturalis animæ & corporis. ut de Justino, Athanasio, & Cyrillo Alexandr.
fatetur Sohnius in Exeg. Aug. Confess. p. 2. 4. & uti hæc non separatur,
quamdiu manet naturalis hæc unio: ita neque divinam naturam uspiam
ab humana separari, quàm diu durat Unio personalis in Christo; quia
sicut anima rationalis & caro unus est homo: ita Deus & homo unus est
Christus, quemadmodum in Symbolo Athanasiano profiteamur. Conf.
Exam. doct. Reform. de Personâ Christi Controv. I. p. 87.

§. X. [IV.] Pervertit cum Socinianis verba Johannis Cap. I. 14.
Verbum caro factum est: per λόγον Jesum Christum ratione officii intel-
ligens, quatenus fuit divina voluntatis interpres: quoad prædicatum verò
innui contendens, hominem Christum factum esse carnem, id est, homi-
nem mortalem, iisdem, quibus reliqui homines, infirmitatibus circum-
septum Lib. V. Instit. c. III. §. XIX. At Filius DEI λόγος erat, quia DEUS,
ab æterno, & ante Creationem: quia per hunc λόγον omnia facta sunt,
& mundus conditus est Joh. I. 1, 2, 3, 10. Col. I. 15, 16. ideoq; λόγος dici-
tur non ratione muneris demùm in tempore suscepti, sed ratione genera-
tionis æternæ: quia ut Verbum in animo hominis concipitur: ita con-
ceptus ab æterno fuit ὁ λόγος ὑπαρκτός, tanquam unigenitus à
Patre: per quem etiam DICENDO creavit omnia Pater Gen. I. 3. seqq.
Ps. XXXIII. 6. Σαρκὴς verò non potest de solâ fragilitate accipi, quia
nec uspiam ita in Scripturis accipitur, sed de homine, vel humanâ natu-
rà, etsi quibusdam locis fragilitas connotetur, ubi tamen illa à Cur-
cellæo adducta Matth. XVI. 17. Gal. I. 17. prorsus ἀλλότρια sunt: nec huic
loco convenit illa fragilitatis significatio: non enim æterno ille λόγος
qui Deus immutabilis est, fieri potuisset fragilis, aut fragilitatem habere,
nisi assumptione carnis fragilis, nobis, nostræ salutis causâ, similis fieri
voluisset, Ebr. II. 14. Temere autem cum Socino excipitur, quasi
ἀτάκτως post narratas res multas, à Christo homine gestas Johannes
ipsum demùm natum diceret, utpote quod ad suos venerit, sed sui eum non
susceperint, quod Johannes missus fuerit, ut de eo testaretur. Unde
colli-

colligit: Verbum ἐγένετο non reddendum factus est, sed fuit, uti Cap. I. v. 6. sed hoc est ἀνακόλυθον; quidni enim, quum dixisset S. Johannes, ὁ κόσμος διὰ αὐτῆς ἐγένετο, mundus per ipsum factus est, C. I. 10. & non agnovit ipsum, addere potuisset, in sua venit, & sui non susceperunt eum, quod jam ab ipsa etiam nativitate, per Pastores Bethlehemiticos, Simeone item & Hanna indicatâ, verum fuit, etsi postmodum demum τὴν ἐσαρκωσιν τοῦ λόγου v. 14. describeret S. Johannes, & de gloria manifestatâ, ceu gloria unigeniti à Patre, sed à populo non observatâ, testaretur v. 14. quem & testimonia S. Johannis Baptistæ non suscepisse perhibet, etsi is excitatus à D E O fuerit, ut de ipsius adventu in mundum testaretur, ut omnes per ipsum crederent Joh. I. 7. 8. Conf. de his *Bibl. Illustr. ad præm. Job. C. 1.*

§. XI. Potrò (V.) Nativitatem Christi factam esse aperto Matris utero è *Luc. II. 2, 3,* collatione cum *Ex: XXXII. 2.* probare satagit, sed inde solidè probari ea non potest: nam etsi ordinariè partus adaperiat uterum, id tamen hîc, in partu extraordinario, factum esse, haud quaquam firmiter asseritur: nec apparet, cur à piâ antiquitate hîc in diversum abeundum sit, quæ clauso utero Matris Christum in lucem prodiisse, statuit. V. *Chrysostomus Homil. de Johanne Baptista. Augustinus Epist. III. Tract. CXXI. in Johann. Serm. XIV. de natura DEI, & serm. CLVI. de Tempore, eumque sensum tum*  *(Mem clausum) Es IX. 7. tum porta aperta, per quâ Dominus egressurus sit Ezech. XLIV. 2. doceat, ut exposuit Antiquitas, Conf. Hieronym. in Ez. XLIV. Ambros. de instit. Virgin. c. 8. Epiphani. de laudibus Virginum, Rufinus in exposit. Symbol. Gregor. M. Hom. XXXVI. in Evang. Bernhardus Homil. II. sup. Missus est: & Græcus Scholiastes in Ez. 44.*

§. XII. (VI.) Quando Unionis effecta designat Curcellæus, tantam quidem donorum spiritualium & divinorum humanæ naturæ factam communicationem asserit, quanta in creaturam cadere potest, & longè suprâ mensuram, quam sancti alii unquam à DEO acceperunt: non tamen admittit, infinita & immensa dona communicata esse per Unionem personalem humanæ Christi naturæ: imò errare eos dicit, qui eam divinarum proprietatum participem, per intimam & personalem naturæ divinæ & humanæ Unionem, factam, docent ut omnipræsentiæ (quam cum Ubiquitate Sophisticè confundit,) Omnipotentia, Omniscientia, &c. quæ vulgò Lutheranos urgere ait, *Instit. C. VI. §. XI. At annon Protobaptista*

ptiffa luculenter testatus est *Job. III. 34.* Deum Christo *ἢ ἢ ἢ*
NON AD MENSURAM, hoc est, *immensā ratione spiritum* dedisse?
 & **OMNIA** in manu seu potestate ejus data esse! annon Christus ipse testa-
 tus est, sibi datam esse **OMNEM** potestatem in cælo & in terra *Matth.*
XXIX. 18. quæ est vere immensa, & divina potestas, & infinita, **DEO**
 propria potentia *Conf. Gen. XIV. 17. Num. XVII. 16. Jerem.*
XXXVII. 27. eterna DEI potestas Dan. VII. 23. quā sibi *omnia* subicere
 potest *Phil. III. 2.* Patrem **OMNIA** in manus suas tradidisse, *Joh. XIII. 3.*
potestatem super OMNEM carnem Joh. XVII. 5. gloriam, quam apud
 ipsum habuit, ut **DEUS**, *antequam mundus esset*, hoc est, ab æterno, *Joh.*
XVII. 5. quomodo **OMNIA** ipsum novisse & *S. Petrus* testatus est *Joh.*
XXI. 17. & *S. Johannes* novisse ipsum, *quicquid* in **HOMINE** erat, *Joh.*
II. 21. adeoque Dominus ipse *corda & renes hominum scrutari*, & pene-
 trare de sese affirmat *Apoc. II. 23.* quemadmodum & *S. Paulus* docet
Col. II. 3. in ipso absconditos esse **OMNES** thesauros cognitionis & sci-
 entia, qui complexus est **OMNISCIENTIÆ infinita**: nam si quicquam
 esset, quod non cognosceret, aut sciret, quomodo **OMNES** thesauri
 cognitionis & scientia in ipso reconditi dici possent? Quid? quod *πᾶν*
τὸ πλήρωμα τῆς θεότητος & **OMNEM PLENITUDINEM DEITATIS**
 in Christi humana natura *corporaliter* habitare doceat *Apostolus Coloss.*
II. 9. quod *Curcellæus* ipse de *infinita divina natura* explicat, cum ex loco
 illo *divina natura unionem cum humana natura c. VII.* probat.

§. XII. Denique [VII.] separatim negat *corpus Christi* ubiq; tam
 in Cælo quàm in terra esse, vel saltem ubicunq; *Eucharistia* celebratur,
 eamq; sententiam *veri corporis proprietates evertere*, adeoque *fundamen-*
tum Christianæ fidei subvertere, *C. VII. § V.* ait. At illud *ἑνλημα* non
 tam nos ferit, quàm ipsummet Christum. Vid. *Matth. XXIX. 20. Marc.*
XVI. 20. ut & *Matth. XXVI. 26.* adeoque nullum meretur *ἄλσυχον*. Hæc
 ergò de *Personâ Christi* in præsentī sufficient.

§. XIV. Porro de *Officio* quoq; Christi gravissimè errat *Curcel-*
læus (1) quod mortem Christi non meritum, sed *martyrium tantum* fac-
 ciat: *primum ac præcipuum ejusdem fructum* *C. IIX. §. II.* constituens,
 quod de *veritate, & certitudine doctrina Evangelicæ, quam annuntiavit,*
testimonium præbeat: cui affine est, quod morti & sanguini Christi tri-
 buatur *confirmatio novi fœderis* *Matth. XXVI. 28.* Ast non tantum in te-
 stimonium & Confirmationem doctrinae suæ Christus mortem subiit, sed

B. A. ... ad

ad impetrandam nobis peccatorum remissionem, ad promerendam in-
 justis & damnatis hominibus gratiam Patris coelestis, ad iram ejusde
 expiandam, & reconciliationem nobis parandam, ad satisfactionem pro
 peccatis nostris præstandam, nostrisq; vice ac loco poenas peccatorum pro-
 meritas exantlandas; ideo *unus ipse mortuus* dicitur *loco omnium* 2 Corinth.
 V. 14. *propitiatio factus pro peccatis totius mundi* I. Joh. II. 2. *peccatum mun-*
di portasse Joh. I. 29. *Deo nos propitiasse morte sua* Rom. V. 10. *Deum nobis*
placasse sanguine suo Col. I. 20. 22. ac redemisse nos sanguine suo Eph. 1. 7.
 Col. I. 14. *ac pro nobis & nostris* nostri loco præstitisse pro nobis redimen-
 dis, & peccatis nostris expiandis Matth. XX. 28 Marc. X. 45. Tim II. 6. si-
 quidem Deus in ipsum omnia peccata, & omnes iniquitates nostras con-
 jecerit, & propterea nostri loco ipse vulneratus & attritus sit, anima in-
 que suam sacrificium pro nobis posuerit Es. LIII. 4. & seqq. quemadmo-
 dum *in typis*, quales in primis erant *sacrificia*, quæ pro peccatis & deli-
 ctis hominum immolabantur, & loco ipsorum offerebantur Lev. XVII.
 11. & in primis in hircō *ὁ σὺν ἡμῶν* hoc representatum fuit Lev. XVI.
 quo de in Socinismo profligato exprofesso actum, cum satisfactio Chri-
 sti prolixè adfertur, ut uspiam à quoquam alio. Adde his, quod Carcellæus
 ipse C. VI. §. V. *Christum ideo debuisse verum hominem esse*, doceat,
quia morte sua peccata generis humani EXPIARE, ut prædictum est Es.
 LIII. Dan. IX. 24 & seqq. debuit.

§. XV. [1.] Salvatorem Christum *infra Deum* dici vult, et si per-
 fectioni ratione, quam Doctores Verbi, qui spiritualem salutem procu-
 rant, de quibus Obad. vers. ult. I Tim IV. 16. Jac. V. vers. ult. At hi sal-
 tem sunt causa *διὰ τοῦ ἡμεῶν*, seu *ministerialis* salutis: Christus verò *ἀὐτο-*
σώτης ἡμεῶν & Salvator est, & verus DEUS, qui de se ex vero profitetur,
 Et XLV. 2. seqq. *Ego DEUS tuus & Salvator, nec est alius præter me; con-*
vertimini ad me & salvi eritis omnes fines terra. Nam ego DEUS, & non
est præter me: (Conf. Act IV. 12.) mihi curvabuntur omnia genua, &
omnes lingua jurabunt: in Domino (Jehovah justitia mea, & fortitudo
mea. Quo de Christo explicatur Rom. XIV. 11. Conf. Phil. II 10. & Hos.
 XI. 14. declarat ipse, quod noster Salvator sit; *Ego, inquit, redimam eos*
ex inferno, & à morte eos liberabo; mors tibi venenum ero, infernae, tibi
pestis ero. Idem enim Dominus confitetur de semetipso v. 4. Ego Jehovah
DEUS tuus, inde ex Aegypto, & nullum alium debebas Deum novisse,
præter me, & SALVATOR non est præter me, Conf. Hos. I. 7. Vid. hic
 Exeg. August. Confess. Art. III. C. 1. §. X.

§ XVI.

§. XVI. [II.] Ut rectè Curcellanus loco citato: *etiam duo sunt pessima mala, quæ toti humano generi incumbunt, peccati dominium, & mors æterna: & duo optima bona, quibus destituitur, justitia, & vitæ æterna, Jesus quantum in se fuit, & docuit, omnes homines ab illis malis liberavit & hæc bona eis peperit* 1. Joh. IV. 14. & ad operum diaboli, quæ sunt peccatum, & mors æterna, dissolutionem se Christus totum impendit; sic pessimè & sensu Sociniano, ac Pelagiano illa accepit, & exposuit, de veritate Doctrinæ Evangelii, in quo duo hæc potissimum contineri, cum Socino, satisfactionis & meriti Christi hoste perniciosissimo ait §. II: *perfecta nempe sanctimonia, per quam DEO grati sumus, præcepta, & promissiones gratuite, omnium peccatorum remissionis, mortis beatæ, & immortalis vitæ, olim in Cælo cum DEO degenda, quæ non nisi juxta Socinianam hæresin intellexit Arminianus.* De cætero ultra doctrinæ testimonium & ad studium sanctimonia nobis ingenerandæ usum, ut per charitatem à DEO Patre nobis offensam, ad ipsum visissimè redamandum excitemur, 1. Joh. III. 16. C. V. 11. C. V. 3. Joh. XV. 20. &c: deniq; ut proficiamus in Sanctitate, perfectò illius exemplari ante oculos posito, ad quod perpetuò respiciamus, 1. Petr. II. 21, 22, 23, nihil de fructu passionis & mortis Christi primario tradidit; satisfactionem ejus pro peccatis generis humani per mortem Christi præstitam, & meritum vitæ æternæ per justitiam Christi obtentum sicco pede præterit; in quibus verò maximè salvatoris Christi officium constituisse, sancta fide cum Ecclesia catholicâ credimus, & profiteamur. Testimonium enim & Confirmatio doctrinæ Christi satis in præconio, & confessione, nec non illustribus miraculis effulserat: ejusmodi etiam testimonii loco erant Apostolorum & Martyrum Christi confessiones, miraculis confirmatæ, sanguine obsignatæ. Ideoque opus minimè erat, ut Christus ipse, unigenitus DEI Filius sanguinem profunderet & in mortem ejus causâ tradere-tur. *Causa autem traditionis ejus primaria erat peccatorum nostrorum expiatio, & salutis æternæ acquisitio.* Nec in exemplum præcipuè Christus mortem subiit: sed ob meritum redemptionis & salutis nostræ causâ: Non ut amore Patris immenso, suâq; charitate incredibili erga nos ipse provocaret nos ad amorem reciprocum, qui utique à nobis inimicis ejus, ante reconciliationem proficisci non poterat, mortuus est: sed ut pro infinitâ suâ misericordia nostræ miseriæ occurreret, & salutem peccatis perditam, morte suâ nobis repararet. *Hanc gratiam, inquit, B. Martyr Cypri-*

annus ad Demetr. §. 22 *Christus impertit, hoc munus misericordiae suae tribuit, subigendo mortem trophæo crucis, redimendo credentes pretio sanguinis sui, reconciliando hominem DEO Patri, vivificando mortalem regeneratione cœlesti. Venit ipse, ait Macarius Episc. Hierosolym. L.II. Actor. Conc. Nic. Salvator omnium & à nobis debita supplicia in suâ carne, nomine nostro suscepit. Ambrosius L.IX. Ep. LXXI. Veniens Dominus Jesus peccatum omnibus, quod nemo poterat evitare, donavit, & chirographum nostrum sui sanguinis effusione delevit. Hoc est quod ait: Superabundavit peccatum per legem, superabundavit autem gratia per Jesum. Quia postquam totius mundi subditus factus est, totius mundi peccatum abstulit. Et de Esau, seu de fuga Seculi C.VII. DEUS idem suscepit carnem, ut maledictum carnis peccatricis aboleret, & factus pro nobis maledictum, ut benedictio absorberet maledictionem, integritas peccatum, indulgentia sententiam, vita mortem. Suscepit enim mortem, ut impleretur sententia, satisfaceret iudicatio per maledictum carnis peccatricis usque ad mortem. Hieronym. L. 1 contra Pelagianos. Alter hircus cuncta peccata populi suscipit, in typum Domini Salvatoris, & effert in solitudinem, & sic placatur DEUS ei multitudini. Augustin. Enarrat. in Ps. XLV. Venit Redemptor, & dedit pretium, fudit sanguinem suum, & emit orbem terrarum. Bernardus Epist. C&C. ad Innocent. Homo qui debuit, homo qui solvit. Nam si unus; inquit, pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt, ut videlicet satisfactio unius omnibus imputetur, sicut omnium peccata unus ille portavit. Quid quod fateri Curcellæus debuit C. IIX. §. VI. quod Christus per Sacerdotium EXPIARIT peccata nostra, & pœnam, quam alias subitari fuisset, à nobis averterit.*

§. XV. [IV.] Negat Curcellæus, Christum dolores infernales sensisse: *Queritur, inquit L.V. instit. C. IX. §. IV. anne Christus in horto Gethsemane senserit dolores infernales, quales olim passuri sunt damnati? Respondeo: minime. Rationes addit duas: nam inter cruciatum damnatorum hic est gravissimus, quod sentiant Deum sibi iratum, & nullam inde liberationem sperent in æternum; de quibus plenius postea egit Curcellæus C. XIX. §. XVI. Quæ testantur, quod non tantum in loco illo Christum non sensisse pœnas infernales statuerit Curcellæo sed quod in totâ passione inferni dolores haud senserit. At qui *κατάρα* MALEDICTUM fuit, pro nobis, h. e. Loco NOSTRI, factus, quod de Christo docet S. Apostolus Gal. III. 3. ille nostram maledictionem passus est, quam sc. nos ipsi pati debe-*

debebam. Nos autē omninō pati pœnas infernales debuim, quia *Scipendium peccati mors est*, eademq; æterna Rom: VI. 23, Ideō Justinus Martyr Dial. c. Tryph. Christum suum rerum omnium parens maledictum & detestationes suscipere voluit. S. Cyprianus de Passione: Christus maledictum appellari voluit, pro iis, quorum causas agebat. Athanas. ad Epictet. Christus pro nobis Execrationem suscepit: id est, quod execratio appelletur. Chrysostomus Homil. X. in Joh. Quomodo carnem pro nobis accepit ita accipit maledictionem. Augustinus L. XIV. contra Faust. c. 4. Ille neget Christum maledictum, qui negat & mortuum. Et in Art. cum Felice Manich: L. II. cap. II. Quomodo suscipiendo mortem interfecit mortem, sic suscipiendo maledictum solvit maledictum.

§. XIIII. Porro Christus etiam factus est pro NOBIS peccatum, idque ita, ut omnia peccata nostra in se susciperet, & pro iisdem lueret, quod nobis luendum erat 2. Cor. V. 21. Luenda autē utique nobis erat pœna infernalis propter peccata. Si non luisset eam Christus pro nobis, nos sanē ab eadem liberi non essemus. Ubi nequicquam regerit Arminianus: Non opus fuit ad nostram Redemptionem, ut Christus easdem pœnas, quas meriti eramus, lueret: sed sacrificio, quo DEUM nobis placatum redderet. Sed quia peccata nostra in se suscepit, ac tulit Christus, quid certius est, quā quod pœnam peccatorum nostrorum sustinuerit! Neque aliter nobis DEUM placare poterat, quam solvendo, quod nos solvere debebamus, ut satisfaceret divinæ justitiæ pro peccatis nostris, ne nos eidem satisfacere opus haberemus. Nam si cum unus pro omnibus, hoc est loco omnium, mortuus est, justus pro injustis, seu vice injustorum, in iudicio divino hoc idem est, ac si omnes mortui essent, necesse est, unum illum satisfacisse loco omnium, adeoque pœnas omnium sustinuisse, mortem imprimis illam, quæ omnibus subeunda pro peccatis incumbebat: quæ certē non est temporalis tantum mors, sed etiam infernalis: Quo de Gregorius M. Sed pensandum est, inquit, Libr. III. Moral. C. XIII c. v. quomodo justus sit, & omnia juste disponat, si eum, QUI NON DEBET PUNIRI CONDEMNAT! Mediator enim noster puniri pro se ipso non debuit, quia nullum culpæ contagium perpetravit: sed si ipse indebitam mortem non susciperet, nunquam nos à debita morte liberaret. Pater ergo cum justus sit justum puniens omnia juste disponit: quia per hoc cuncta justificat quod eum qui sine peccato est, PRO PECCATORIBUS DAMNAT. Et Theophyl. in C. IX. Ebr. Pater enim noluit

vobis dimittere hereditatem, sed **IRASCEBATUR** ut filiis reijicientibus
ipsum, & alienatis. Christus itaq; Mediator factus **RECONCILIAVIT**
NOBIS ipsum. Quomodo? Quod nos oportebat pati, (mori enim debuis-
semus) hoc ipse pro nobis sustinuit. Arnoldus Carnotens. Opusculo de septem
verbis novis. Tract. 1. Deseritur cum derelictis, & pro natura, quam as-
sumerat, tributum solvit, & evecturus secum genus suum ultra hujus
seculi pelagus, piratis rapacibus nauticam suam protulit, inviscatisq; den-
tibus eorum illudit voracibus, & tam se quam pradam suam abstraxit, & e-
vexit. Pro debitoribus debitor se objecit, & quod ex se non debebat, ultro de-
bere non abnuit, ideoq; totius debiti summam ab eo, qui pro omnibus se
traheret, exactor exegit. Nicolaus de Cusa Cardinalis Exercit. Lib. X. Pro-
pter nostrum justificationem sic actum est per Christum. Nam nos pecca-
tores in ipso **INFERNALIS** poenas, quas juste meremur, exsolvimus.
Porro quid aliud infert querula illa Christi exclamatio in cruce Matth.
XXVII. 46. Marc. XV. 34. **DEUS meus, DEUS meus, quare me dereli-**
quisti? quam dolorem infernalem, quem in sanctissima anima sua sen-
serit Christus? Poena enim infernalis formaliter consistit in divina de-
sertione. Et quid aliud verba maestissimi Mediatoris nostri & S. Evan-
gelistarum de ipso valde lamentabilia, & anxietatis plenissima referunt,
utpote illud $\lambda\upsilon\pi\epsilon\iota\delta\gamma$ animo contristari, & $\kappa\alpha\theta\alpha\upsilon\beta\alpha\iota\delta\alpha\gamma$ attonitum
perhorrescere, & $\alpha\delta\eta\mu\omicron\nu\epsilon\iota\upsilon$ tristitiam cordis maximam sustinere, ac per-
ferre, adeo ut anima Christi $\pi\alpha\rho\iota\lambda\upsilon\pi\Theta$, undiquaq; horroribus obsessa,
& circumvallata, & valde tristis ad mortem fuerit in horto Gethsemane,
ita ut nullus pateret exitus, quam dolorem, & poenam inferni! Matth.
XXVI. 34. 38. Marc. XIV. 33. 34. Unde $\pi\omega\varsigma\ \sigma\upsilon\nu\epsilon\chi\omicron\mu\alpha\iota$ quomodo
coarctor & constringor angustia & anxietate animi, dicebat Christus,
horrore poena illius, quum eam subeundam esse animo proponeret suo
Luca XII. 50. & testabatur Job. XII. 27. Nunc anima mea $\tau\epsilon\tau\alpha\rho\alpha\upsilon\tau\alpha\iota$
turbata est, & commota vehementissimam concussione, ac perturbatione,
 $\eta\gamma\alpha\tau\ \epsilon\iota\pi\omega$, & quid dicam? quasi dicat, non possum verbis exprimere
anxietatem cordis, qua hoc ipso in loco brevi post subeunda erit, hoc est,
in monte Oliveti, e quo tum descendebat. Quo de dolore Ambrosius L.
X. in Luc. C. XXII. Ergo pro me doluit, quia pro se nihil habuit, quod dolo-
ret, & sequestrata delectatione divinitatis aeterna, tadio mea infirmitatis
afficitur. Suscepit enim tristitiam meam, ut mihi suam letitiam largiretur,
&

Et vestigiis nostris descendit usq; ad mortis arumnam, ut nos suis vestigiis revocaret ad vitam.

§. XIX. Tùm verò, quid clarius est, quàm quod dolores infernales sustinuerit Christus, quandoquidem ipse protestatus est, tales se sustinuisse dolores Ps. XIX. 6 *circumdederunt me funes mortis, & torrentes Belial terrebant me; Funes inferni circumdederunt me, prævenerunt laquei mortis.* Et Psal. XVI. 10. *Non relinques animam meam in INFERNNO.* Qui enim vaticinatur animam suam non relictum iri in inferno, seque illâ spe solatur, & erigit, is prædicat animam suam aliquando in inferno fore. Qui prævidit, seque ita solatus est hâc non derelictione animæ suæ in inferno, quemadmodum prævidit. & sese solatus porro est, quod caro sua vilura non sit corruptionem, ille tam verè novit, animam suam inferni doloribus futuram obnoxiam, quàm verè caro sua immunis futura sit à corruptione.

§. XX. Quo etiam facit *Zachariae* vaticinium *Cap. IX. vers. 11.* *Tu quoque in sanguine Testamenti tui emisisti, id est, certò certius emittes, aut quoad efficaciam & fructum. jam emisisti vinclos tuos, nos peccatores, h. e, homines omnes, qui vinciti per legem sunt sub incredulitate* teste *Apostolo Rom. XI. 32. συνέλευσε γὰρ ὁ θεὸς τὰς πάντα εἰς ἀπίθειαν ἵνα τὰς πάντας ἐλεήσῃ. Conclufit enim DEUS omnes sub incredulitatem, quæ primum & summum est peccatum, ut istorum omnium miseretur & Gal. III. 32 συνέλευσεν ἡ γραφή* *conclufit Scriptura* (*Scriptura sc. legis Mosaica Deut. XXVII. 26.*) *πάντα ὑπὸ ἀμαρτίας, ἵνα ἡ ἐπαγγελία ἐκ πίστεως ἰησοῦ χριστοῦ ὁ θεὸς τοῖς πιστεύουσιν* *OMNIA sub peccatum, ut promissio ex fide JESU CHRISTI, hoc est, objective in EUM CHRISTUM daretur, seu obtingere posset, credentibus in ipsum.* Quis enim ille lacus. in quo concussi sunt per sententiam legis omnes homines ob incredulitatem, & peccatum lacus ille, in quo non est aqua ulla, & vel guttula ulla *Luc. XVI. 24, 26, vitæ, refrigerii, & consolationis; lacus infernalis, qui totus sulphure & igne acerrimissimo adversus illos ob iram Domini vi justitæ ipsius severissima, incenso & flammante ardet: igne, inquam. ἀσβεστόν* *seu inextinguibili Es. XXX. 3. c. LXVI. 24. Marc: IX. 44. quem nemo mortalium sustinere potest. Es. XXXIII. 14.* Et quis alius est lacus, è quo nos per sanguinem fœderis sui liberavit, & emisit salvator, quàm lacus ille extremæ miseriæ, in quo non nisi litior dentium: lacus ille tenebrosissimus, tartareus & infer-

infernalis, in quo tenebrae exteriores & gravissimae sunt, de quo David Ps. XXX. 4. *Sanasti me, à descenditibus in lacum:* è quo Christus sese liberandum vaticinatur, eoq; nomine DEUM Patrem celebrat Ps. XL. 3. *Eduxit me de lacu miseriae & de luto fecis:* quem lacum propter peccata nostra in ipsum coniecta, quae ceu Agnus DEI portabat, & ob quae poenas nobis luendas exantlavit ipse Mediator, & Redemptor noster Es. LIII. 4. seqq. Johann. I. 29. I. Joh. II. 2. victima, in obedientia erga Patrem usq; ad mortem crucis, factus pro nobis, Ps. XL. 7 8, 9. 13. (Ebr. X. 5. seqq.) Es. LIII. 10, 11, 12. de quo lacu Petrus Berchorius Pictav. Gallus, qui tempore Caloli Imperat. Anno 1265. vixit, in Reportorio: *Lacus inferni nimis horrendus est, utpote lacus irae DEI, de quo Ap. XIV. à quo Sol veri luminis ita est remotus, quod ibi radius suae gratiae non attingat, & ubi est fames perpetua, in quo est pressura multitudinis, junctura altitudinis, jactura turpitudinis, clausura maestitudinis.*

§. XXI. De quo lacu etiam Salvator noster Ps. XXCIIX. 4, 5, 7, 8. vehementer conquestus est; *Quia repleta est malis anima mea, & vita mea inferno appropinquavit: estimatus sum cum descenditibus in lacum, factus sum sicut homo, sine adjutorio: posuerunt me in lacum inferni, in tenebrosis & in umbra mortis: super me confirmatus est furor tuus & omnes fluctus tuos induxisti super me.* De lacu illo tenebroso, & infernali testatur ibid. vers. 12. *quod in eodem non narretur misericordia & veritas, non celebrentur mirabilia Domini, neq; justitia ejus depradicetur, ceu in tera oblivionis* vers. 13. Conf. Ps. VI. 6. ideò lamentatur Christus vers. 15. *quod Dominus rejiciat orationem suam, quod AVERTAT FACIEM SUAM à se:* quae est derelictio illa DEI, & illa non exauditio clamoris sui, de qua Ps. XXII. 2, 3. conquestus erat, & porro in hoc XXCIIX. Psalmo vers. 16. seqq. *In me, inquit, sum conturbatus: in me transferunt ira tuae, & terrores tui conturbaverunt me:* Unde Origenes, & Hieronymus ut et Placidus Parmens quin & Cajetanus, & Dionysius Carthusianus, aliq; per lacum illum miseriae infernales intelligunt. Sed de hoc Psalmo Conf. Bibl. Illustr. in addendis ad Tom. I. Vet. Test. Atque de hoc infernali lacu loquuntur etiam parallela loca in libris Veter. Test, Ps. CXLIII. 34 Es. XIV. 15. C. XXXIIX, 18. Ez. XXVI. 20, C. XXXI. 14. CXXXII. 18. *Non-aqua, inquit B. Dorscheus Theol. Zach Part. 1. p. 123. sive absentia & defectus aquae spiritualis & mystica, proprie ad statum damnationis, & supremae illius miseriae refertur,*

*fertur, Zach. XIII. 1. meminit fontis patentis, qui est fons vite Ps. XXX. 20. fons vivus Deus Pl. XLII. 3. fons Israël Ps. LXVII. 17. fons salutis Es. XII. 3. fons aqua vivæ Jerem. I. 13. fons aqua salientis in vitam æternam Joh. IV. 14. fons aqua vite Apoc. XXI. 6. C. III. 17. C. VIII. 10. Meminit etiam aquarum vivarum exeuntium de Jerusalem Zach. XIV. 8. Ex hoc igitur fonte sunt illæ aquæ, aquæ salutis Es. XII. 3. aquæ gratis data, & gratum facientis, Es. LV. 1. aquæ vivæ Jerem. I. 13. Joh. IV. 20. II. viventes Jerem. XVII. 13. emundantes Ezech. I. c. 9. aquæ sanctuarii Ezech. XLVII. 12. aquæ salientes in vitam æternam Joh. IV. 4. aquæ munda Hebr. X. 22. aquæ vite Apoc. XXI. 6. C. XXII. v. 17. &c. Fons hic apertus habet aquas dulcissimas, quas & in regno gratiæ spargit fluentis uberrimis, & in regno gloriæ diffundit toto alveo. Hæ aquæ omninò non sunt cum fonte suo ibi, ubi status damnationis & suprema illa miseria locum habet. Est namque ibi separatio à DEO, averfio divinæ faciei, carentia divinæ visionis, elongatio à beatifico DEO conspectu. De qua Irenæus Lib. V. adversus hæres. c. 22. p. 351. *Quicumq; erga DEUM custodiunt dilectionem suam, his præstat communionem. Communio a. DEI vita, & lumen, & fruitio eorum, quæ sunt apud eum, bonorum: Quicumque a. absistunt secundum sententiam suam ab eo, his eam, quæ electa est ab ipsis, separationem inducit. Separatio autem DEI mors, & separatio lucis tenebræ, & separatio à DEO amissio omnium, quæ sunt apud DEUM bonorum. &c. Sequitur hinc separatio à B. Angelis, & triumphantibus animabus. Hanc excipit exclusio à Paradiso cælesti. Comitatur ejectio à luce, gaudio, quiete, & felicitate. Summatim dicendo, oritur hinc omnium perfectè & sublimiter recreantium Bonorum privatio. Concludimus: Is locus hoc loco intelligitur, ubi non est aqua ne guttula quidem refrigerans, vi dictorum. At in statu damnationis & supremâ illâ miseriâ non est aqua ne guttula quidem refrigerans Lucæ XV. 24.**

§. XXII. Qvis porrò aliq; est, qui nos sanguine Testamenti sui è lacu, in quo nõ est aqua, liberavit, nisi Rex ille justissimò, & afflictissimò, Messias noster, qui nostri causâ ad Zion venit, ineqvitans asinâ & pullo ejus, ad cujus adventum exultare debent omnes, qui in lacu infernali conclusi erant, utpote per eundem liberandi Zach. IX. 9. denique, quomodo liberavit nos Christus unicè è lacu illo aliter, quàm cū in lacum infernalẽ descendit nostri loco, ne nos opus haberemus in eum descendere, adeoque descendens in infernum, angustia, & horrorem & afflictionum miseria

C

riarum

riarum animæ suæ (quem *Metaphoricum descensum ad inferos* dicunt Theologi) nos ex eodem redemit Hoseæ XIII. 14. Ebr. II. 14. ideoque **ΥΠΙ** dicitur à Prophetâ Zach. IX hoc est, *salvatus*, quia ipse non relictus in lacu illo infernali fuit, sed ex eo salvatus est, ut nos ex eodem liberaret, ac salvaret, & causa Salutis nostræ fieret.

§. XXIII. De quo ejusdem descensu etiam explicari solet locus Apostolicus Ebr. V. vñ. 7. quod *in diebus carnis suæ preces, supplicationesq; ad eum, qui possit illum salvum facere à morte, cum clamore valido, & lachrymis offerens exauditus sit* **ΔΠΟ' ΤΗΣ ΕΥΛΑΒΕΙΑΣ** à METU, & TIMORE quo ob horrores infernales obsessus cum valido isto clamore, quem in cruce, & ad montem Oliveti supplicationes obtulit Matth. XXVI. 8. seqq. Nimirum exauditus dicitur **ἀπλῶς**: neque enim non mortuus est, sed **κατά τι** à timore mortis, istius scilicet **εὐλαβείας**, seu timoris, cujus effectus fuit **καταυγὴ ἰσχυρὰ**, cum lachrymis cordis anxii & perturbati legatis: & cujus objectum fuit mors infernalis, utpote à terroribus inferorum manans, à Christo apprehensa: quam ipse pro nobis gustavit Ebr. II. 9. cujus demum remedium fuit **δύναμις σωτικῆς**, seu **σωτήριος**; unde *Cyrillus Alex.*: hanc **εὐλαβείαν** de priore libr. de rectâ fide ad Regin. interpretatus est **τινα τρίπον κατεπλήθει θάνατον ἢ ζωὴν**: quonammodo expavit mortem vita? **καταπλῦειν** enim est consternere, perterrefacere. Conf. & *Theod.* in h. l. sic è nostris quoque interpretati sunt hunc locum, *Joachim: Camerarius* in notis in h. l. p. 162. **ΔΠΟ' ΤΗΣ ΕΥΛΑΒΕΙΑΣ** id est, **ἐκ τῆς εὐλαβείας**, quod significat *μετ' εὐλαβείας*: **προστευχόμεν**, & quæ sequuntur, *inducunt immensam humilitatem & submissionem Filii DEI, in obediendo voluntati Paterna, cum factus homo derivatam in se iram DEI sustinuit. & placavit DEUM reconciliatum generi humano*: Et *B. Dn. D. Wolff. Franzius* de Interpret. Script. p. 600. *Liberatus est à metu mortis Christus. Mors enim præcessit in hoc eodem versu: unde quàm commodè εὐλαβεία vertitur pro metu, & sub metu intelligitur metus mortis.*

§. XXIV. Nequicquam ergò objicitur à *Curcellæo (III)* *Quod non senserit Filius DEI Deum sibi iratum.* Nam quia peccatum totius mundi portabat Christus quid nî ira DEI adversus ipsum exarsisset? Et quid pœnæ, quibus à DEO in passione magnâ percussus est, quasque nostri loco perpeffus ipse est, aliud sunt, quàm publica & luculenti sima testimonia iræ divinæ adversus peccata, quæ in se susceperat? *Disciplina enim*

enim

enim *pacis* [hoc est *pœna*, quam nos sustinere debuimus] super ipsum est, ut *pacem* nos habeamus. *Elaia* LIII. 5, quod ἐὺφρανοτέρως B. Lutherus reddidit: Die Strafe liegt auff Jhni auff daß wir Friede hätten; quod etiam verba subjuncta docent: *Et vulneribus, vel vibicibus ejus sanati sumus.* Qui autem propter peccata nostra vulneratus est, ita, ut pœnas omnes perpeffus in iudicio DEI sit, ne nos vulneremur, sed ut vulneribus ejus per fidem apprehensis, sanemur, & pace fruamur æternâ, ille utique pœnas nobis debitas nostri loco sustinuit: ad quas utiq; pœnæ infernales pertinent. Porro *pœna* non nisi ab irato DEO infligitur. Est enim *pœna vindicta noxæ.* Et quid illa ἐνδειξις τῆς δίκαιουσύνης ἔδειξεν docet aliud, quàm *justitiæ divinæ vindicatricis*, peccata nostra in Christo, qui eadem in se suscepit, punientis demonstrationem in passionibus ejus factam *Rom. III. 2.* imprimis quum illa facta sit eo fine, ut *justus ipse maneat, dum impios nos justificat*, i. e., à peccatis absolvit, *imputat a nobis aliena*, Christi nempe *justitiæ*, nostri causa puniti, ad nostram justificationem *Rom. IV. 6. C. V. 9. C. X. 4.*

§. XXV. Quod verò (2) advertitur, eos, qui dolores sentiunt infernales, nullam inde liberationem sperare in æternum, quod nullo modo in Christum competat: Ad id resp. Non debere id in Christum convenire; tum propter ejusdem innocentiam & sanctitatem, ob quam per justitiam DEI in inferno relinqui non poterat *Ps. XVI. 10.* quia impossibile erat, *negησαίμαι αὐτεν ὑπ' αὐτῆς* in æte num, vel ita, ut non resuscitaretur, nec solverentur ipsi *αἱ κόδυρες ἔδειξαν* *Act. II. 24.* Neq; tamen inficiandum censemus, Christo fluctibus infernalibus obruto, confortationem ex thesauris scientiæ in ipso absconditis *Col. II. 3.* non semper affulxisse: in quibus tamen ipsum non desperasse, de liberatione, DEI, vel ipsa exclamatio & querela luctuosissima docet, in quâ DEUM adhuc *DEUM suum* bis vocat, fiduciam suam in ipsum testatus; *DEUS meus, DEUS meus, quare me dereliquisti?*

§. XXVI. Deindè mors infernalis vel secunda, uti à S.S. vocata est, *Apoc. XX. 6.* non conveniebat Christo, DEO illi benedicto in secula super omnia, *Rom. IX. 5.* qui nunquam non habet *claves inferni & mortis*, adeoq; mortuus etiam *vivebat in æternum Ap. I. 18.* nec à morte & inferno retineri poterat, sed claustra ejus perripit. & *vivificatus spiritu*, de morte ac inferno triumphare debuit, nos ab iis liberans, & vitam ac Cœlum nobis restituens *Os. XIII. 14. I. Corinth. XV. 54, 55, 56, 57, Ebr. II. 14.*

§. XXVII. Porrò *Mors infernalis* non nisi *συμβεβηκότως* æternitatem infert, quatenus sc. *cum desperatione* conjuncta est, quæ in omnibus quidem infidelibus damnatis, vi justitiæ divinæ, obtinet, utpote nunquam poenitentibus, sed in æternum DEUM blasphemantibus. *Apoc. XIV. 1. C. XVI. 11. C. XX. 10. 14, 15*, in Christo autem locum habere non potest, utpote *sanctissimo, omnis peccati experte, Diaboli, qui potestatem mortis habet, victore, imò creatore, ac Domino aeterno, & immortalis DEO*, ipsâque vitâ æternâ. ut Johannes de eo testatur, *I. Epist. V. 20.*
ἄτος ἔστι ὁ ἀληθινὸς θεὸς καὶ ἡ ζωὴ αἰώνια ☩

§. XXVIII. Quartò, mors ergò secunda vel ὁ δεύτερος ☩, ἡ σιωδῶς, s. essentialiter spectata, consistit tum in *desertione DEI*, vel intermissione *αἰσθητικῆς* seu *influxu divina gratia*, & *manifestatione gloriæ divinæ*, tum in *passione horrorem infernalium* ideoque in *derelictione*, quam Christus in cruce sustinuit *Matth. XXVII. 46* vel *συμβεβηκότως accidentaliter*, ratione *durationis sempiternæ*: quæ in horroribus infernalibus necessaria non est, neque in Christi infernali poenâ locum habere potuit, neque ut inveniretur in poenâ illa, nostri loco exantlatâ. opus fuit. Quia momentum & pondus passionis ejus immensum è *personæ patientis divinæ* immenso æstimandum pretio, non v. è *temporis*, quo eandem exantlavit, *duratione* vel *æternitate*. Ineptus a. imò impius est, dum ineptum hoc dicit *L. V. Institut. C. IX. §. IV. cruciatus ejus, quia diem in egrum non durarunt, æternis equipollentes propter naturæ divinæ à Christo unionem cum humanâ fuisse: quia nulla unius diei ad æternitatem proportio, & Christus in sua naturâ divinâ nihil passus est, sed tantum in humana*. Nam etsi proportio nulla sit, si ex se æstimentur tempus & æternitas, est tamen proportio justa in *judicio DEI*: quod DEUS acceptare passionem Christi *θεοῦ πατρὸς* nostræ æternæ mortis loco dignatus est; *2 Corinth. V. 14. 1 Petri III. 18. Es. LIII. 5. seqq.* etsi cruciatus ejus æterni non sint *extensivè*; immensi tamen sunt *intensivè*; etsi nulla sit proportio, quoad *durationis quantitatem*: est tamen infinites major cruciatus passionis vicariæ, infinitæ, quoad *personæ patientis dignitatem*. Nam quævis *divina natura* Christi passa non sit, non tamen passa est *sola natura humana*, sed passus est ipse unigenitus, & æternus DEI Filius. *Personæ*, enim non *naturæ* sunt *passiones*; & subsistit humana natura in ipsâ Filii Dei personâ, habitatq; in eadem *πᾶν τὸ πλῆρ ματῆς θεότης* ☩ *αὐτὸ σωματικῶς*, *Col. II. 9. Dominus ipse gloriæ crucifixus est* *1 Cor. II 8.*

Antor

Autor Vitæ interfectus Act. III. 15. DEUS ipse animam suam in mortem pro nobis tradidit I. Job. III. 15. DEUS ipse sanguinem suum pro nobis effudit, ut nos redimeret Act. XX. 28. Jehovah in cruce transfixus effudit pro nobis sanguinem Zach. XII. 10. Job. XIX. 37. Ap. I. 5, 7.

§. XXIX. Essent jam etiam reliqua ita persequenda, quæ in *Curcellæo* reperiuntur de hoc articulo à veritate divaricantia: sed ita nimium quantum excreveret disputatio. Quapropter *Ἄρα Βεγαχέων* tantum cæteros errores designabimus, utpote alias à nobis jam confutatos. Nimirum aberrat *Arminianus* ille primipilus in plurimis à Scripturis, per *Pyrrhonicas* suas Disputationes, quibus Scripturæ sensus dubius redditur, & fides incerta: cujus *Eneomias*tes in parentatione ipsi *Amstelodami* habita *Arnoldus Pælenburgius*, *Curcellæi* successor, hoc præcipuum elogium habuit, quod licet in illa etiam duriore sententia de absoluto decreto acquiescere penitus non posset, quam tamen potissimum sententiam recipendam duceret, vix aliquid secum firmi constitutum habuerit, quodq; in omnibus dictis suis, scriptis, factisq; illud maxime voluerit, & hoc unice molitus sit, ut *Christianismum* multis, & horrendis Schismatibus divulsam IN UNUM CONGLUTINARET, quod etiam meditatus fuerit. cum famosis *Synodi Dordracenæ Canonibus* subscribere recusavit. Sed missis istis, alia extantiora errata Theologica ex Institutionibus ejus jam tantum delibabimus: Qvalia sunt, quæ jam sequuntur. (1) Quod *Lapsus Petri* uti *L. V. C. X. §. III.* habet, *Jesus* ex intimè perspecto *Petri* animo & infirmitate tantum COLLEGERIT. Quomodo enim infallibilis fuisset illa *Christi* prædictio, adhibitâ voce, juratoriae affini, AMEN. declarata, nisi ex lumine infinitæ suæ præscientiæ etiam CONTINGENS illud futurum prævidisset clarissimè. Vid. *Matth. XXVII 34.* Uti pariter infallibiliter in *Judæ* animâ PRODUCTIONEM EJUS futuram prævidit? Quid? quod *Episcopus* ipse, *Curcellæi* Præceptor, & Collega Conjunctissimus, agnoscat, & prolixè doceat *L. IV. Instit. S. II. C. XVII.* quod *DEUS*, quia certò atq; infallibiliter prædicit contingenter futura, certò etiam ac infallibiliter præsciat ea. etsi futura v.g. *hos vel illos peccaturos esse &c.* quomodo *Remonstrantes* adversus *Contra Remonstrantes* affirmant, *DEUM* futura præscire ex infinitate suæ essentia & super eminenti perfectione intellectus, & præscientia suâ, non autem quia voluit aut decrevit, ut illa necessariò fierent: imò definit etiam *Episcopus*, TENERI NOS SCIRE, AC CREDERE

DERE, DEUM scire ea omnia, quae à divino aliquo decreto dependant, quae videlicet DEUS constituit, vel per Omnipotentiam suam sive immediate, sive mediate efficere, vel PER SAPIENTIAM SUAM DIRIGERE, ut fiant. Conf. Syst. Theol. T. II. X. C. IX. p. 557. & seqq.

§. XXX. [II] Horam crucifixionis Christi tertiam Marc. XV. 25. quam Johannes C. XIX. 14. sextam dixit, ita expedit Curcellæus, ut è Johanne observet vocem ὥσεί, eamq; apud Marcum quoque subintelligi posse censeat, quae utrobique cum aliquâ extensione accipienda sit, imprimis, quia in historia passionis mentio tantum fit tertia, sexta, & nona horae, nulla intermediâ commemoratâ C. X. §. XVII. quod ideò non approbavimus, in Grotio (cujus glossæ in quatuor Evangelia Correcturam in Typographiâ Curcellæus in se susceperat, teste Oratione prædictâ parentatoriâ,) quod ita non definiatur hora, in qua Christus crucifixus fuit: idcirco magis concinnas conciliationes in Bibl. illustr. N. T. T. I. p. 514. ad §. I. dedimus, quæ illic, collatione cum Chronico nostro Biblico institutæ, legi poterunt.

§. XXXI. [III] Vaticinium de Christi crucifixione Ps. XX I. 7. in historiam de Davidis passione commutat c. XI. §. IV. ubi tamen fatetur ipse, præclaram banc esse prophetiam, quam Judei Christianis extorquerent antur, quorum incredulitatem impugnare aliâ ratione possit, non admittens cum aliis Textûs Ebræi corruptione: quo de vid. Critic.acr. & agnoscit, Psalmum XXII. 19. in Christi crucifixione impletum dici Matth. XXVII. 35. Job. XIX. 24.

§. XXXII. [IV] Insignis est ὁ ἄσπερνεῖα Curcellæi verborum Christi Luc. XXIII. 43. Cui nova illa interpretatio, à Socinianis excogitata, arridet: Si per habitationem, inquit, in Paradiso intelligatur fruitio eterna beatitudinis, prout accipi videtur I. Cor. XII. 4. & Ap. II. 7. ego putarim voculam hodiè conjungendam esse cum præcedentibus, ut legatur continuâ serie: Amen dico tibi hodiè, nimirum ad majorem suæ asseverationi emphasin tribuendam, ut videmus Moysen loqui Deut. XXX. II. 18. 19. & alibi: Quæ verò collatio hic prorsus est inconveniens: & eo fine tantum placuit Arminiano, ut Socini opinioni de cælesti gloria & beatitudine nemini ante ultimum diem tribuenda subsidium pararet, quam verò cum Luc. XVI. 22. & Ap. XIV. 13. nuquam conciliabit, quemadmodum nec suo responso petitioni & desiderio latronis conversi, verbisque ipsismet Christi ex usu loquendi recepto convenit. Unde aliud

com-

commentum cum alia interpretatione adjecit *Academicus* p. 243. sed si
Paradisi v. cem quis accipere malit pro loco quietis, in quo anima fidelium
detineatur in custodia DEI, usque ad ultimum resurrectionis diem, quo
unientur iterum suis corporibus, & beatitudo earum consummabitur, non
repugnabo, quin comma apponatur post voces, Amen dico tibi, & sequen-
tes, hodie mecum eris in Paradiso, uno spiritu legantur.

§. XXXIII. [IV] Christum per Unionem nature divina cum hu-
mana factum esse impeccabilem, ideo negat, quod, si ita se res habeat, vix
ac ne vix quidem capi possit, quomodo obedientia, quam Patri exhibuit,
libera fuerit. L. VI. §. XII. sed quanquam non per unionem demum per-
sonalem factus sit ἀναμάκρυντος, quin è conceptione ex Spiritu S. talis
fuerit Luc. I. 36. Ebr. VII. 26. 2 Cor. V. 21. 1 Petr. II. 22. (Es. LIII. 9.)
Curcellai tamen insuper argumentum hic admodum fragile est. Annon
n. Angeli in cœlis, annon Electi universi in alterâ vitâ DEO obedientiam
præstant liberè, utut impeccabiles sint in ista beatitudine!

§. XXXIV. [V] Cum oraculis Prophetarum docet, prædictam
fuisse Resurrectionem Christi Cap. XIII. §. VII. eò pertinere etiam ait
verba Psal. II. 7. quæ David referat sibi à DEO dicta. Hæc enim verba:
Filius meus es tu, Ego hodiè genui Te, quodammodo Davidi, ut figura,
secundum literalem sensum, convenire quidem putat: illustriori tamen
multo ratione, in JESU impleta, quando DEUS eum à mortuis resusci-
tauit Act. XIII. 32. quem sensum mysticum vocat. At Scripturam duos
alicubi sensus, literalem, & mysticum adhibere, temerè ac sine exemplo
dicitur, quod prolixè in *Commentario in Genes. proœm. C. II. X.* ostendi-
mus; neque ullâ ratione ad Davidem pertinet, aut illi convenire potest,
quod habetur Ps. II. 7. sed literali sensu loquitur unicè de Christo, Filio
DEI à Patre ab æterno genito, teste S. Apostolo Ebr. I. 5. qui ne Angelo-
rum quidem ulli hoc dictum esse, monet. Quod solidè etiam contra præ-
cipuos alvinianos, agnoscente & adstipulante, in *Synopsi Critico-
rum Matthæo Polo, Calviniano Anglo hodiè celeberrimo, in
Bibl. Illustr. ad h. l. evicimus, nec denique interpretatio Act. XIII. ad
Christi resuscitationem adducitur, quod in Anti-Crellio contra Socinianos
satis probarum fuit.*

§. XXXV. (VI.) Christum in eodem omninò corpore, quod habuit
toto tempore conversationis sue in terra, & in quo mortem passus fuit, re-
surrexisse, & quidem non quoad substantiam tantum, sed etiam quoad

gra-

qualitates eodem, asserit C. XIII. §. X. Quod sinistrè è vulnerum ipsi inflictorum in manibus, pedibus, & latere vestigiis. quæ contrectanda dedit discipulis. *Luc. XXIV. 39. 40. Johann. XX. 27.* probat. Hoc n. οἰκονομία tantum liberæ fuit, non necessitatis naturæ post resurrectionem gloriosam. Confer. *I. Cor. XV. 42. seqq.* Unde etiam negat Christum per saxum, quò ostium sepulcri erat munitum, penetrasse, & per fores clausas ad discipulos suos ingressum esse, imò Angelum removisse lapidem istum, ut aperiret viam Christo è sepulcro egressuro, ait. Quum tamen Christus jam egressus fuerit, antequam Angelus revolvisset lapidem *Matth. XXII. v. r. seqq.* Nec ut Christus resurgere è sepulchro posset remotus ab Angelo lapis sit, qui summo mane in terræ motu ad inferos descenderat, sed ut mulieres in sepulcrum descendere, & Christum ibi non amplius sepultum & in morte relictum inveniri videre. adeoque inde de Resurrectione ejus, quam prædixerat, certiores reddi possent. Quem clauso sepulchro resurrexisse non Patres tantum magno consensu professi sunt, uti *Justinus*, quæst. CXV. ad orthodox. Christum dicit suapte potentia, è monumento, cui lapis impositus erat, egressum esse: Non enim, inquit, excitationis ejus gratia Saxi ipsius de monumento facta est devolutio, sed earum causa, qui id conspecturi erant, ut ipsis resurrectio ostenderetur, Vid. & *Gregor. Nazianz.* dramat. Christus patiens, *Gregor. Nyss.* Orat. de Resurrect. *Ambros.* L. X. in *Luc. XXIV.* *Chrysost.* Hom. XC. in *Matth.* & in *Cap. XX.* *Joh. Hieron.* ad *Parmen.* & in *Paulæ Epitaph.* *S. August.* de *Cognit. Ver. Vit.* C. XLVI. & *Serm. de Temp.* CXXXIIX. CLVI. CLIX. CLIX. CLX. ut & *Serm. II. de Verb. Apostol.* nec non de *Agon. Christ.* *Cap. XXIV.* *Isidor. Pelus.* L. I. *Epist.* CCCC. V. *Theophyl.* in *Matth.* XXII. X. vid. & *Berhard.* *Serm. I. Pasch.* &c, sed & agnoscunt id *Reformati Dd.* præcipui: *Joh. Calvin.* in *Harm. Evang.* Christum ante resurrexisse, quam ab Angelo sepulcrum aperiretur, ait: *Muscul.* in *Matth.* XX. IX. Meo judicio non devolutus est, inquit, lapis ab ostio monumenti, per ministrum Angelum, ut aperto monumento liceat Christo jam redivivo in lucem progredi, & resurgere. - - Absit, ut tantum INFIRMITATIS Christo demus; sed ut fieret fides mulieribus, & Apostolis. Cui suffragatur *Marloratus*, hæc adjiciens contra sociennos: Tametsi non desint, qui dicant, revoluto operâ Angeli lapide Christum resurrexisse, sine ullo miraculo: verum qui sua virtute corpus excitare potuit in sepulchro, eadem virtute potuit sepulchrum egredi, oscluso ostio grandi illo saxo, ut miraculo sit excitatus

citatus miraculo egressus, nullâ operâ Angeli. Quid? quod Johannes
Casus Philosophus Calvinianus penetrationem dimensi num inde probat,
quod Christus non tantum, clauso utero natus sit, sed etiam clauso sepulcro
resurrexerit, a clausis foribus ad discipulos ingressus, & Rodolph. Gocle-
nius in Adversar. fateatur, penetrationem non repugnare corpori qua
tali.

§. XXXVI. Quod ergo ad fores clausas, contradicit Cur-
cellæus textui longe luculentissimo Joh. XX. 19. τῶν θυρῶν
καλεισμένων, non minus, quàm consensui antiquitatis docens, fores
extraordinariâ aliquâ ratione, discipulis incognitâ, Christo apertas
esse, temerè atq; sine scriptura. Noviter etiam eludit textum Luc. xxiv. 31.
καὶ αὐτοῖς ἀφαντῶν ἐγένετο ἀπ' αὐτῶν, & ipse invisibilis factus est, vel
desiit esse ab ipsis vel, desiit ipsis apparere, significare negat JESUM, quam-
vis corpore tantum præsens, duobus discipulis maneret, conspici tamen non
potuisse, quod esset glorificatus: idq; solùm indicari vult, subito & ex im-
provviso fuisse ablatum ex eorum conspectu: per mutationem loci licet celer-
rimam, adeò ut in auras abiisse ipsis posset videri. Quod à Bezâ præce-
ptore quondam suo hausit: led ἐμφαντῶν vocis docet, quod assidens adhuc
mensæ mirabili modo desierit ab ipsis videri, aut etiam invisibili vi agi-
litate corporis discedens non amplius conspectus fuerit: quemadmo-
dum etiam in ipso exinanitionis statu per medios Nazarethanos transire
Luc. IV. 30. in templo à Judæorum furore se abscondere, ac per medium
eorum penetrare potuit Joh. IX. 5. unde Epiphani. Hæres. XLII. c. Mar-
cion. Decebat ipsum, qui DEUS erat, & corpus suum in spirituale trans-
mutabat, ostendere quidem corpus verum, disponere a. quando volebat,
quia omnia ipsi possibilia sunt; de quo etiam Thomas Part. III. Q. LIV.
Art. 1. Resp. ad 2. Quicumq; habet corpus glorificatum, in potestate sua ha-
bet videri, quando vult, & quando non vult, non videri. Neque ta-
men pedem figere potuit in priori glossâ Curcellæus, sed eò se recepit,
q. sensus sit, ne ipsum viderent, quemadmodum antea, ne cognoscerent:
quæ v. quàm diversa sint, nemo non videt. Cur vero non potius Calvinii,
sui itidem Præceptoris oppidò celebrati, explicationem Luc. xxiv. sub-
scribit, quod ipso vigore suum subtrahente obtusa fuerit eorum acies? Sed
causa in propatulo est, quia vigo talis mutationem in corpore Christi re-
suscitato innuit, à qua Curcellæus prorsus abhorruit.

D

§. XXXVII.

§. XXXVII. [VII] Similiter futilis est *Ἰουδαϊκὴ μανεία* loci Ps. xvi. 9. quod ibi de Davide agatur, quod nempe DEUS ipsum è manibus inimicorum liberarit, nec permiserit, ut ipsi vitam eriperent, ut postea in sepulcro putresceret. Quum ex adverso S. Paulus doceat Act. XIII. 35. de resurrectione Christi Davidem agere: Petrus v. demonstret etiam, non posse illa de Davide ullatenus intelligi, siquidem David omninò computruerit Act. II. 31. Et valdè inepta sit glossa illa, de Davide è manibus inimicorum liberato, quum Hieropsaltes non de liberatione vivi, sed de non corruptione demortui ibidem agat.

§. XXXVIII. [IIX] Falsum etiam ac ab analogia fidei alienum interpretamentum *Curellai Rom. I. 4.* quod Christus perfectissimè constitutus fuerit Filius DEI, cum ita suscitatus fuit à mortuis, ut mors deinceps non amplius dominaretur illi. Ubi enim, obsecro, in scripturis *ὁ λόγος* Filii DEI unigenii sic explicatur, & quid hoc commercii habet cum eadem? annon illa maximè *disparata* sunt, ut unum per alterum explicari posse non nisi *ἀθεολόγως & κατὰ ἀλόγως* adferatur, atque proinde multis modis rectius se habeat interpretatio Græcorum Patrum, quod Filius DEI per resurrectionem demonstratus sit. Vid. Theol. Apost. Romana, & Bibl. Illustr. in h. l.

§. XXXIX. [IX] Abhorret quoque ab analogia fidei, quod ibidem Christum, ait, negari primariam esse resurrectionis suæ causam, cum Patri hoc tribuitur, quod Christum resuscitavit: quia *quacumq; Pater facit, EA SIMILITER facit & FILIUS*, teste Christo Joh. V. 19. & ut Pater mortuos excitat & vivificat, ita & Filius v. 21. Neque *1 Petri III. 18.* vivificatus spiritu Christus dicitur, ut indicet, ut cum virtute illius divini spiritus, qui in ipso habitat, ex mortuis fuisse suscitatum, & intelligatur Patrem primariam istius rei causam esse. Nam testatur Christus ipse Joh. X. 18. se *ἐξ ἑστίας* habere animam suam, seu vitam suam, ut ponendi, quando sic ait, *ἐγὼ τίθημι αὐτὴν ἀπ' ἑμαυτοῦ*, ita vicissim eam sumendi: ac præterea Joh. II. 19. seqq. se excitaturum corporis sui templum tertio die, quod dissoluturi sint Judæi: quæ de primariâ causâ resurrectionis agunt, & virtutem summam vivificationis arguunt, quemadmodum & spiritus ille, quo vivificatus est Christus, quando carne, hoc est, quoad humanam naturam mortificatus fuit, divinam naturam Christi denotat, secundum quam Filius unum est cum Patre Joh. X. 30. & cum Spiritu S. I. Joh. V. 7.

§. XL

§. XL. [X.] *Descensum Christi ad inferos* pariter citra rationem negat Curcellæus, & loca, quæ pro eodem adferre solent Lutherani, suis exceptionibus & glossis corrumpit. Non enim hunc Articulum fidei agnoscit in *Symbolo Apostolico*; κατῆλθεν εἰς ἄδου supple, τόπον, vel εἰς τὰ κατώτερα. Ruffinum adducens, qui ait in exposit symb. quod in *Ecclesie Romanae Symbolo non habeatur, neq; in Orientis Ecclesis*: quodque vis videatur esse in eo, quod sepultus dicitur: Et quod multi Patrum in *Symboli istius recitatione*, nullam ejus mentionem faciant, ut *Irenæus, Tertullianus, Augustinus*; nec in *Symbolo Concilii Niceni & Constantino-polit. habeatur!* In *Symbolo v. Athanasii* invenitur quidē, sed ita, ut omitatur articulus de *sepultura*, manifesto indicio, id pro *equivalenti habitum fuisse*. Sed aliud est *sepulchrum*, aliud *infernus*, nec vox ἄδου usquam in scripturis pro *sepulcro* accipitur. Tum si verba *symboli: descendit ad inferos* respiciunt Ps. XVI. *non relinques animam meam eis ἄδου, in inferno*, [quod vult Curcellæus licet perperam, quum hic non de sepulcro, sed de inferno sermo sit] eâ ratione intelligenda etiam erunt *Symboli verba de inferno, & non de sepultura*. Quamquam locum *Davidicum de cruciatibus infernalibus ante mortem exantlatis* potius intelligendum esse censeamus. Nec verò habetur Articulus ille de *descensu Christi ad inferos tantum in Athanasii*, sed etiam in *Thaddei Symbolo* apud *Eusebium*: ut & in *Symbolo ab Ignatio adducto*, aliisque veterum *Symbolis*. Et confirmavit eundem tum *S. Paulus Eph. IV. 9. verbis, Κατέβη πρῶτον εἰς τὰ κατώτερα μέρη τῆς γῆς*: tum *S. Petrus I. Ep. III. 18. 19, 20. θανατωθεὶς μὲν σαρκί, ζωοποιηθεὶς δὲ τῷ πνεύματι: ἐν ᾧ καὶ ἰσθὶς ἐν φυλακῇ πνεύμασι προβθεὶς ἐκήρυξεν, ἀπὸ θήσασί ποτε, ὅτι ἅπαξ ἰξέδεχθη ἢ ἔ θεῶ μακροθυμία ἐν ἡμέραις Νῶε,* de quibus locis vid. *Syst. Theol. T. VII. Art. VII. c. 1. Q. I. p. 689. seqq.* in quibus verò in alienum sensum abripiendis mirè se torquet Curcellæus L. V. CXII. §. VII. & IX. modo *locum Paulinum satis commodè interpretari eidem VIDENTUR, qui eum referunt ad descensum etiam è cælo, cum in terras venit ad homines, annunciaturus eis Evangelium Joh. VI. 28. sed quomodo tum descendit εἰς τὰ κατώτερα μέρη τῆς γῆς?* Modò non male de *sepulcro* accipi ait, cui vero eadem verba aptare haud satis potest. In loco vero *Petrino per incredulas gentes, intelligit à Republica Christiana alienas*. At quum his dici non possit, *diebus Nos predicatum per Apostolos fuisse Evangelium: fingit particulam velut inservendam esse tex-*

mi: Porro per *Spiritus* Synecdochicè *homines* innui vult, sed quinana tunc *homines in carcere* infernali fuere, hîc designati, ante resuscitationem Christi è mortuis: & quomodo convenit præconium per *Apostolos* factum, hominibus in illo carcere constitutis? Quamvis nec de præconio Apostolico hic quicquam habeatur, sed id à Curcellæo hic audacter nimis, atque temerè ingeratur, ubi de præconio vivificati secundum spiritum, Christi, penes animas in carcere infernali conclusas, luculenter loquitur S. Apostolus! Quo de locus citatus *Sysem. Theol. conferendus*. Hîc tamen observamus Curcellæum fateri debuisse *carcerem supplicii æterni* à Petro intelligi, *Malim itaq;*, inquit *dicere; per Φυλακην seu carcerem significari, DEUM incredulos istos reservare supplicio ignis æterni*, conferentem locum 2. *Petr. II. 4.*

§. XL. (XI.) Inter *resuscitationis Christi fines* de eodem fidei, & obedientiæ nostræ præmio, agit; quod etsi dextrè intelligi posset, non tamen dextrè & orthodoxè à Curcellæo profertur. Nam Christum putat, per obedientiâ suam sibi *meruisse* gloriâ mortis suæ: *Conf. C. XV. §. XVII.* verum enim verò Christus non sibi, sed *nobis* mortuus est: & resuscitatus, *mortuus propter peccata nostra, resuscitatus propter justitiam nostram* *Rom. V. vers. 24.* ideoque non sibi quicquam meruit, sed nobis justitiâ & salutem impetravit & promeruit, utpotè Redemptor & Salvator noster, qui nos à peccato & condemnatione per peccatum, per meritum redemit, & justitiâ, ac salutem nobis acquisivit. Neq; vero nos *per obedientiam nostram ad immortalam vitam adspiramus*, sed unicè per fidem in Christum, per quam remissionem peccatorum, æternam vitam gloriamque consequi nos oportet *Act. X. 43. C. XV. II. 1. Joh. II. 2. C. III. 16. &c.*

§. XLII. [XII] De *Ascensione Christi in Cælum* agens *Pf. LXIIX. 19. sensu primo & literali vult* intelligendum esse de *magnificâ arca fœderis introductione in arcem Sion*, eamq; nomine DEI, ait, insigniri *C. XV. §. 1.* Sed nomen *Jehovah* nunquam rei creatæ tribuitur in S. Literis, ac ne *Angelis* quidem creatis, multominus arca materiali, etsi eo detorqueat, more & exemplo Socinianorum *Pf. xxiv. 7. XLVII. 6. Num: x. 35, 36.* unde in ea *Ψεδοσηνησια* non acquiescit, sed de DEO ipso accipi posse faterur, *multas Davidi largiente victorias*: verum enim verò non de sese, sed de Christo Davidem vaticinatum esse S. Apostolus *Eph. IV. 8.* neque de suis victoriis, sed de triumpho ascensionis Domini in Cælum, verba Davidis accipit, idque non *mystico sensu*, quemadmodum vult Curcellæus

cellæus, sed *literali*, qui unicè ex inductione locorum in S. Literis locum
habet vid. quæ de hoc loco in Ps. LXIX. in Bibl illustr. diximus.

§. XLIII. Textum etiam Petrinum Act. III. 21. ὃν θεὸς ἔργον
δέξασθαι, pervertit, quod non sit explicandus quod Jesus capiat seu reci-
piat Cælum, sed quod à Cælo recipiatur, seu capiatur. Quamvis verò
illo modo accipi posse fateatur, si constructio Grammatica respiciatur, ta-
men attendendo ad mentem loquentis, & orationis seriem non posse nisi ab-
surdè sic accipi, ait C. XV. §. VI. Sed rationibus valdè levibus & ficul-
neis, siquidem uti habet, Petrus alloquatur judæos incredulos, nec aliud
ipsis indicare vulnerit, nisi quod DEUS suscitaverit Jesum à morte, & eum
in Cælum assumserit. Verum hoc posterius est αἰτησις ἔν αἰσχῆ: il-
lud vero quatenus judæis incredulis loquatur, est ἀνακόληθον. An-
non etiam Jesus ipse judæis incredulis & quidem coram Caiphâ, ex amo-
re, disertè professus est, Filium hominis sessurum in dextra virtutis?
Matth. XXVI. 64. Quod vero obvertit, addere Petrum usq; ad tempora
restitutionis omnium; ut tempus, quo deberet assumi in Cælum, significa-
ret, non quo usque Cælum capiat, quum in omnem prorsus eternitatem
Cælum capiat, ad id respondemus: non tantum Christus capit in æternum
Cælum, sed etiam in Cælo æternum commoratur, aut num nega-
bit Curcellæus, Jesum in æternum in cælo commorari? Quomodo v.
dicatur usq; ad tempora restitutionis omnium, ἔργον δέξασθαι, ex col-
latione Petri de æterno ejus Regno Es. IX. 7. Luc. I 33. cum sessione ad
dextram DEI, donec ponat inimicos suos scabellum pedum suorum Ps. CX. 2.
facile judicari poterit. Quo facit Nazianz. observatio, Orat. II. de Filio,
quod particula ἀχρῆ sine termino accipi hîc debeat, quod in Scriptura
non in solens est. vid. Ps. CXXII. 18. Ps. CXXIII. 2. Matth. I. 25. Rom. V.
13. I. Tim. IV. 13. Et quomodo ad tempora usque restitutionis omnium
Christum Cæli terminis corpore suo conclusum manere, indicare po-
terat Petrus, siquidem Christus in terris præsto fuerit ante tempora re-
stitutionis, ibidemque plus vice simplici apparuerit Act. VII. 56. C. IX.
17. C. XXII. 14. 19. C. XXII. 1. I Cor. IX. 1. C. XV. 8. 2 Tim. V. 17. Nihil
etiam minus πρὸς Διόνυσον, quàm dicere: Christum Cælo conclusum te-
neri usq; ad diem novissimum. Quænam n. obsecro hæc consequentia;
Vos viri Judæi maturè respiscite: quia Christus cælo capitur? Annon
potius reprobatur hic Petrus scandalum illud Judæorum de Christi infirmi-
tatibus, passione & morte, docens, mortuum quidem Christum ex in-

firmitate secundum vaticinia, sed occupasse jam dominationem & regnum cœlorum. Sed vid. quæ de hoc loco dicta prolixè sunt in *Exam. Doctrina Reform. de Pers. Christi* additament. *Quæst. Grammat. II. X.* P. 533.

§. XLIV. Nec majori reverentiâ augusta Pauli verba *Eph. IV. 8. ascendit super omnes Cœlos, ut impleret omnia*, tractavit Curcellæus; *Hæc verba, UT IMPLERET OMNIA*, inquit, non significant Christum implere omnia prorsus, nimirum Cœlum & terram corpore suo, ut enim impleret ea hoc crasso & corporali modo, non oportebat eum ascendere supra omnes Cœlos. Suffecisset, ut se quaqua versum & ubiq, diffunderet. Nimirum πλήρωσιν hanc τῶν πάντων, non divina, sed corporali ratione intelligit Curcellæus; quum vel è *Jer. xxiii. 24.* intelligere potuisset; Deum, ad cuius solium erectus est Christus, non implere Cœlum & terram per sui diffusionem, sed augustissimæ præsentia suæ majestatem, & divinam suam omnipræsentiam. Quamquam verò DEUS, cum ubiqve esse concipitur, in omnibus locis adesse statuatur, non tamen adest συνεκτικῶς, ut comprehendatur, sed συνεκτικῶς ut comprehendat loca omnia: non περιεκτικῶς, & περιγραπτῶς, sed περιεκτικῶς, ad essentia sc. divinæ immensitatis, non locali, sed illocali, non circumscriptivè, sed repletivè, sine ulla expansione & exclusionem: ita, ut intra cuncta sit non inclusus, extra cuncta non exclusus, quomodo *Clem. Alexandr. T. VI. Serm. Edit. Heins. p. 457.* Deum incomprehensum omnia comprehendere dixit, & alii, *DEUS ubiq, est, & DEUS nusquam est: ubiq, in quantum ad essentia divina omnia continet: nusquam, in quantum à nullo continetur.* Absit ergo etiam ab humana Christi natura omnis diffusio, omnis expansio, utpote quæ ἐν αὐτῷ τῷ λόγῳ subsistit, unde *S. Athanas. Orat. contra Arrian.* negat, λόγον EXTRA suum corpus esse, quia una eademqve hypostasis est λόγος assumptis, & humanæ naturæ assumptæ.

§. XLV. Ne quicquam a. obvertit Curcellæus: neq, potuisset id facere Christus post Ascensionem suam in Cœlum, si vi unionis naturæ humane cum divinâ jam à primo conceptionis sua momento, non minus omnipræsens quàm ipse fuisset. Confundit enim ita majestatis & gloriæ omnipræsentia divinæ Communicationem quoad

quoad ἀλήθειαν seu possessionem, & quoad χρῆσιν seu usurpationem. Nimirum possidebat Christus in ipso exinanitionis statu majestatem divinam universam, & quicquid ad eandem pertinet (πᾶν τὸ πλήρωμα τῆς θεότητος Col. II. 9.) eademque liberè uti etiam poterat, quando, ubi, & quomodo volebat, ideo Job. III. 13. quum agere in terris cum Nicodemo se in Cælis esse, testatus est: sed ascendens in Cælum, confidensque ad dextram majestatis in excelso demùm eandem plenius usurpabat, acceptà omni potestate in Cælo, & in terrâ Matth. XXII. 18. Unde πανταχῶς UBIQUE cooperatus est non absens sed præsens per universam terram, Apostolis, & etiamnum cooperatur cæteris ministris Verbi, usque ad consummationem seculi Marc: XVI. 20. & Matth: XXII. 20. Apoc. I. 13.

§. XLVI. Regerit adhuc Curcellæus, extollens se rationis suæ speculationibus adversus fidem Christi I. Cor. X. 5, si Christus corpore suo (quoad humanam naturam) impleret Cælum & terram, excluderet inde omnia reliqua Corpora, cum plura corpora simul in eodem spatio esse nequeant, nisi fiat penetratio dimensionum, quam omnes Philosophi ut absurdam & contradictoriam respiciunt: unde concludit: locum Apostoli Eph. IV. 10. de impletione SS. donis accipiendum esse. At illud consequens de penetratone dimensionum Doctores Veteres & Nostrates, ac è Calvinianis ne ipsi quidem Philosophi præcipui absurdum, nedum contradictorium habent, ut è Johanne Caso, & Rodolphi Goclenii Adversar: supra docuimus. Explicatio vero illa de impletione donis Spiritus S. nimis jejuna & frigida est, Christus enim descendisse ad infima terræ loca & ascendisse suprâ omnes Cælos ideò dicitur, ut impleret omnia, Cælum & terram, & quæ infra terram sunt, in visceribus ejus intimis; Ea vero Spiritus S. donis impleri quis dicet?

§. XLVII. Objectiones vero nostras, quod Ascensio Christi localis, juxtâ Calvinianorum explicationem ita facta in tertium Cælum supra reliquos omnes Cælos visibiles adfunda sit, & impossibilis: quia multis annis opus fuerit Christo, ut eò perveniret, imò forte nondum eò pervenire potuerit, tantùm abest, ut speculationibus suis dimittendis sufficere censuerit Curcellæus, easdemque ullatenus demiserit: ut etiam ulterius ita firmarit easdem L.V.C.XV. §. XV. p.270. Secundum Alfraganum Arabem, inquit. à terra, usque ad concavum spheræ stellarum fixarum sive firmamentum, sunt 20110. semidiametri terræ. Jam si assumamus pro
firma-

firmamenti crassitie 7000 semidiametros, erunt in universum 27110. Semidiametri terra usque ad superficiem convexam firmamenti seu ingressum in tertium Caelum: Non posse autem minus assumi, quam septem mille semidiametros pro crassitie firmamenti, inde patet, quia Alfraganus tribuit crassitie sphaerae jovis 5529. semidiametros, & sphaerae Saturni 5705, quamvis ista sphaera unicum astrum contineant, idque multo minus, quam sint stellae firmamenti primae magnitudinis, & ratio postulet, ut majori corpori major tribuatur locus. Aestimatur autem una terra semidiameter 860. miliaribus Germanicis. Unde sequetur a terra usque ad superficiem convexam firmamenti seu ingressum tertii Coeli esse 23314600. miliaria; ac proinde si singulis diebus pertransivisset Christus mille miliaria, non nisi post 3314. dies seu 67. annos Aegyptios & 319. dies potuisset ingredi in tertium Caelum, cum tamen inde decima post ascensum die Spiritum S dimiserit. Secundum v. sententiam Lansbergii Copernicani sunt a terra usque ad firmamentum semidiametri terra 280000000, qui tribuendo, ut supra, uni semidiametro 860. miliaria facient miliaria 240800000000. Unde sequetur, ut si Christus confecisset singulis diebus 100000. miliaria, non nisi spatio 2408000. dierum, seu annorum 6597. & 95. dierum, iter usque ad superficiem concavam firmamenti absolaturum, ac proinde eo non posset appellere, nisi post fere quinq; mille annos, iisque emensis superesset adhuc immensa illa stellarum fixarum sphaera pertransenda. Quae omnia cum absurda sint & fidei Christianae contraria, inde colligunt Christum assensu locali non ingressum esse in illud sublime Caelum, & tam longe a nobis remotum, imò istud Caelum non nisi pro mero figmento haberi debere.

§. XLIX. Ad quæ, quum nihil solidi quod reponeret, invenire Pyrrhonicus & Academicus ille potuerit, incerta esse omnia dicit, quæ Astronomi de firmamenti a terra distantia scribunt, cum solis conjecturis nitantur: Non posse quidem negari illam immensam, sed numerum miliarium inire velle, prorsus est temerarium. Aliquid probabiliter dici posse de distantia lune & solis a terra, eamque ingeniose supputari ex umbra terre in Eclipsibus Lunaribus & parallaxibus, sed nulla esse firma fundamenta, quibus innitatur calculus distantia Planetarum superiorum, Martis, jovis, Saturni, multo minus stellarum fixarum.

§. XLIX Ob quem Scepticismum illa Mathematicis castiganda relinquimus. Addit tamen ulterius: Ponamus tantam esse, quantum velunt,

volunt, imò in multò majorem, non tamen idcirco dicenda foret absurda,
& impossibilis JESU CHRISTI localis in Cœlum Ascensio. Nam eadem
ratione posset explodi historia Creationis Cœli & terræ sex diebus facta.
Ambitus enim Cœli stellati superat infinitis partibus ejus distantiam à terrâ,
& propè infinitas milliones miliarium in superficie sua comprehendit.
Quis tamen Christianus negabit Deum illud solo nutu suo uno die, imò for-
tè uno momento, ut quidam existimant, extendisse? Sed quid ista ad nos,
qui localem & successivum ascensum Christi in cœlum, non nisi ad nubes
usq; ex Act. I. credimus? Disputentur ergò illa cum Calvinianis, qui cœ-
lum γαωυετρητας pro locali & successivo Ascensu ad tertium, quod vo-
cant cœlum, dimicant, & cœlum tertium super æthera collocant. Nos
contra, ut Majestatem DEI, ut dextram Altissimi ubiq; esse credimus, ita
humanam Christi Naturam ad dextram, & thronum DEI per tot millia-
ria evehctam esse haudquaquam asserimus. Pergit autem Curcellæus: si hoc
credunt isti homines, cur in Controversiam trahunt historiam Ascensio-
nis Christi? An difficilius fuit DEO, Christum ad se in momento in Cœ-
lum illud sublime assumere, quam Cœlum ipsam fabricari? Radii solares
uno momento ad terram perveniunt, & Angeli momento jussa DEI exe-
quuntur, cur non etiam corpus Christi à terra ad Cœlum pervenerit? si
quid ergo pietatis habent, abstinere debent ab illis ratiociniis, quæ uni-
versam S. Scripturæ auctoritatem convellunt, & cogitare Dei potentiam esse
longè majorem & sublimiorem quam intellectu capere possimus. Hæc Cal-
vinianis opponat, non nobis, qui facile Christum suprâ omnes cœlos pe-
netrasse, & in momento assumptum esse in cœlum majesticum inde à
nube, admittimus, neq; progressivo ad illam ascensionem motu opus
esse statuimus. Illud tamen de creatione alienum est hoc in loco. Aliud n.
est, in spatiis imaginariis cœlum & terram creari, idq; ex nihilo, aliud
v. corpus Christi materiale, visibile, quantitate molis, & quatuor dimen-
sionibus constans, è terrâ in cœlum evehctum, quod nec sine dimensio-
num penetratione fieri potuisse, Arminiani admittunt. Alia præterea se-
cundum ipsos est radiorum solarium, alia Corporis Christi suis dimen-
sionibus præditi, ratio: quibus proinde hic, & in aliis discursibus, quando
decempedâ rationis mysteria sacra dimetiuntur, & quia suprâ ratio-
nē illa sunt, credere eadē renuunt, in aurem ista Curcellæanis regerimus:
ut nempe, si quid pietatis habent, abstineant deinceps ab illis ratiociniis,
quæ universam S. Scripturæ auctoritatem convellunt, & cogitent, DEI po-

rentiam & sapientiam longè majorem & sublimiorem esse, quàm intellectu capere possimus: & illud Justinì ὑπὲρ λόγον ὑπὲρ τὸν, ὑπὲρ πάντα κατὰ ἀληθεύει. τῆς κτιστῆς φύσεως τὰ ἡμέτερα ne reprobent.

§. L. Nolo hic ipsi objicere, quomodo commentum *Cbilasticum* de descensu Christi è Coelis in terras mille annis ante novissimum diem futuro, quem ascendere oportet de novo iterum in Coelum, quod tertium vocant, imò ὑπεράνω πάντων τῶν ἕρανῶν Eph. IV. 10. de quo prolixè, licet, pro more, *Pyrrhonicè* disputavit *Curcellæus L. V. Institut. C. XXIII. §. VI. usq; ad finem capituli p. 319 ad p. 328.* tueri velit. Errare enim illos crassè p. 319. ait, qui putant Christum post istum descensum nunquam in Coelos rediturum.

§. LI. Taceo deniq; illum, quem cum *Socino* somniavit *Curcellæus*, ascensum Christi in Coelum, dum in terris ageret, ante passionem, & resurrectionem, & ascensionem solemnem in Coelum factum: quando C. XVI. §. IX. imò scriptura, inquit, videtur innuere Jesum in Coelo apud Patrem fuisse, antequam ad Evangelium annunciandum hominibus, mitteretur. Huc pertinent ista loca Job. III 13. C. VI. v. 38. 62. Cap. XII. 28. Hac, inquam, admodum probabiliter sic accipiuntur, & ad tanto majorem Christi, & Evangelii ejus gloriam cedunt. Nam si Moses in monte cum Angelo, Dei personam sustinente, collocutus est, & mandata ab eo accepit. Et Paulus in tertium usq; Coelum raptus est, ubi audivit arcana verba, quae non licet homini loqui, quid impedit, quo minus id de Christo credamus, ne filius hac in parte servis, aut Evangelium lege inferius audiat, praesertim cum Scriptura adeò clarè de hac Ascensione testetur. Nec refert, quod in historia Evangelica non habeatur, quando id contigerit. Lucas n. non narrat etiam, quando Paulus raptus fuerit in tertium Coelum. Nec videmus quando impletum fuerit quod dicitur Job. I. 52. de Angelis ascendentibus & descendentibus super Filium hominis. Ne tn. *Pyrrhonismum* suum hic quoq; relinquat, addit: Siquis tn. aliter interpretari malit, non pugnabo cum eo, modo ab Analogia fidei, & ab iis, quae clarè nobis revelata sunt in scriptura, non recedat. Si autem id omnino admittat, & calculus ineatur praedictus ascensus & descensus in Coelum & de Coelo facile itinerarii Christi coelestis ultra 25000. annos conficientur, antequam visibilis reditus Christi in Coelum post diem extremum absolvatur, idque tantum ad superficiem concavam firmamenti, quibus emensis superfutura adhuc immensa illa stellarum fixarum

fixarum sphaera pertranscunda. Sed desinendum nugarum Curcellæi, per quas nobis post novissimum diem adhuc diu præstolanda foret præsentia cum Christo desideratissima.

PARS II.

DE OFFICIO CHRISTI

SECTIO I.

DE OFFICIO PROPHETICO.

S. I. **P**ropheticum Christi Officium rectè quidem L. V. Instit. C. XV. §. 1. probat Curcellæus è Deut. XIX. 15. infirmam tamen reddit probationem Scepticus, quando mox § II. subjicit: *Se negare nolle, si nudum loci illius scopum, & coherentiam respicias, posse etiam non absurdè ad alios præter Messiam Prophetas extendi: Sed quasdam tamen circumstantias requirere, ut de Messia PRÆCIPUE, & singulariter intelligatur* Quæ verò circumstantiæ sunt. Nam cujus loci circumstantiæ requirunt, ut singulariter de Messia intelligatur, ille non potest de alio ullo intelligi, ac ne quidem SECUNDARIO: quia illæ Circumstantiæ singulares id nullatenus admittunt. Observentur ipsa Curcellæi Argumenta. I. *Proprietas Verborum*, inquit *pro nobis facit, à qua non est ABSQVE EVIDENTI NECESSTATE recedendum*: II. *Scriptura loquitur in singulari numero, non in plurali. Ergò de uno aliquo singulari præcipuè accipiendum est, nisi ostendatur aliqua esse absurditas in hac expositione.* III. *Moses dicit: PROPHETAM SICUT ME, quod aliis Prophetis, qui ipsum sequuti sunt, non convenit. Nullus enim illorum par Mofi fuit Deut. XXXIV. 11.*

S. II Quod vero postrema verba contra Prophetam falsò nomen DEI usurpantem, aut in nomine alienorum deorum loquentem, de Messia non debeant accipi: facile patet, ad alias ea pertinere personas, non ad Messiam. Talia enim sunt Subjecta, quæ permittuntur esse à suis prædicatis. Ideoq; non opus erat ad responsum, in Scriptura omni carens exemplo, refugere, quod sc. *Prophetis familiare sit ab una persona subito ad aliam transire: quod ne uno exemplo probari solidè potest: tantum abest, ut Scripturæ id familiare sit. Nam quod ad 2. Sam. VII. 12. de Semine Davidi post ipsum excitando, cujus thronus sempiternus sit, id meritò de Christo accipitur, ut è parallelis Ps. XXCIX. 12. Ebr. 1. 5. constat; Quod ve-*

ro ea quæ sequuntur, quod si iniquè aliquid egerit, arguam eum in virga
filiorum hominum, non convenire Messiaë putat, in eo fallitur. Etsi enim
non conveniat Messiaë iniquè aliquid agere, in personâ propriâ, 2. Cor. V.
21. benè tamen id de eo dicitur in nostrâ personâ: quia peccata nostra in
ipsum coniecta, eiq; imputata sunt Es. LII. 4. seqq. unde etiam nostri loco
punitus ipse est & virgam filiorum hominum in iudicio Dei sustinuit. Conf.
2. Cor. V. 21. Gal. I. 13.

§. III. Et rectè ex Act. III. 22. C. VII. 37. docet Curcellæus, à Petro
& Stephano, Viris S.S. plenis de Jesu locum Mosaicum Deut. XIX. expli-
catum esse: eamq; opinionem vulgò receptam temporibus Christi fuisse
arguit è Job. VI. 14. C. IV. 6. quibus addere etiam poterat Luc. VII. 16.

§. IV. Ad preparationem ad munus Propheticum rectè quidem
refert Curcellæus Baptismum à Johanne susceptum, què tamen ideò Chri-
stum suscepisse, ut in sua personâ Baptismum nostrum sanctificaret, quem-
admodum cum fuit circumcissus, judæos sanctificavit, immeritò negat; al-
tium ubiq; in S. Libris de his rebus prætexens silentium §. VI. Nam idem
illud, quod ad Johannem ait, baptizandum se, ut omnem impleat ju-
stitiam, Matth. III. 15. quid aliud infert, quàm quod pro nobis, ut omnem
impleret justitiam, nostri causâ baptizari debuerit, suoque baptismò no-
strum Baptismum sanctificaret? Ut Hilarius docet in Matth. Can. V. Et
quam nostri causa circumcidi debuerit, utpote nostri gratiâ factus sub le-
ge, ad observandum pro nobis legem Gal. IV. 4. Circumcisionem ejus fuis-
se, & satisfactoriam pro nobis, & sanctificatoriam Circumcisionis judæo-
rum quomodo negabitur? Conf. Syst. Theol. T. VII. Art. IV. cap. 1. Illa verò
ignorantia, de qua ibidem Curcellæus, an v. aliquis etiamnum universis
aquis (in administratione Baptismi) vim regenerativam tribuat, IGNO-
RO, Theologo indigna est, in Patribus versato. Habet enim hoc Optatus
Milevitanus l. 1. p. 10. Habet & Hieronymus adversus Luciferianos. Quod
vero ad monitum, quod de Baptismo subjicit, cavendum esse, ne Baptismo
id tribuamus, quod nulli ceremonie externæ competit, ut nempe cor mün-
det, & DEO nos acceptos reddat, verè à ἀθέλοντος est; utpote Sacramen-
to Baptismi virtutem spiritualem derogans: Nec illo Petrino 1. Ep. III. 21.
juvari potest, quod Baptismi hoc tantum INTERNI sit, qui sit interroga-
tio bonæ conscientie in DEUM, docente Petro: Nam nec ullibi in S. Lite-
ris ista interni & externi Baptismi distinctio, vel potius separatio reperit-
tur, nec de alio, quàm de externi Baptismi Sacramento Petrus docet, quod
non

non sit *δοθέντες ῥύπυς σαρκός*, ἀλλὰ *συνειδήσεως ἀγαθῆς ἐπερωτήματα* εἰς θεόν, ut verba ipsa testantur. Cur enim illam negativam adjecisset, *ἢ σαρκός* *δοθέντες ῥύπυς*, S. Petrus, si de interna ablatione loqueretur! Haec enim illud prædicatum nemo sanus tribuet.

§. V. Quod hic §. VIII. inferitur de loco *Col. II. 9. ad mysterium DEI & Christi antea memoratum seu ad Evangelium, in quo istud mysterium mundo revelatum est, referri verba ejusdem posse de omni plenitudine divinitatis in ipso habitante corporaliter*, docet, quomodo Arminianus ille cum Socinianis Clasica Scripturæ loca pervertat, aut certè dubia reddere satagat! At verò de *Mysterio DEI Patris & Christi* nihil quicquam in totis sex commatibus antegressis habetur, sed in secundo tantum versu, qui non nisi perversè huc abripitur; Et fatetur Curcellæus ipse, quod *plenitudo divinitatis non reperiretur in Evangelio, nisi in ipso Jesu Christo, illius autore, antea inhabitasset*: illa tamen phrasis scripturæ analogæ non est. Nusquam enim illa *plenitudinem divinitatis in Evangelio habitare in nobis*, nedum *πάν τὸ πλῆρωμα κατοικεῖν ἐν αὐτῷ*, idq; *σωματικῶς* ait: sed hoc uni solum Christo proprium est, quemadmodum inhabitationis subjectum non verbum, sed natura humana Christi est, vel Christus ipse, proximè commemoratus.

§. VI. Quod porro scepticè *verba Luc. XXIV. 27, 45. accipi posse* ait vel de peculiari *S. S. dono*, simili illi de quo *I Cor. XII. vel ut significant D. Jesum regulas quasdam discipulis suis tradidisse, ex quibus mysticum sensum in scripturis latentem, & ad Evangelii tempora pertinentem discernere possent à literali & jam olim impleto sensu*, id nec Scripturæ Phrasi convenit, nec è textu illo apparet ullatenus, & abhorret planè à regulis sanæ interpretationis, utpote quæ non admittit geminum unius, ejusdemque loci sensum, alterum *literalem*, alterum *mysticum*, sed unicum tantum Scripturæ sensum postulat, uti in autoribus omnibus, clare loquentibus.

§. VII. Temerè etiam *miratur §. XII. Curcellæus Dordracenos, Filium DEI in V. T. per Prophetas Spiritu suo loquutum esse, velle, & ex Ebr. I. 1. probare, DEUM Patrem per λόγον consilium suum de salute nostra hominibus manifestasse, tam in veteri, quam Novo Testamento*. Hoc enim luculentum est è *Matth. XI. 27. & de Spiritu Christi S. Petrus 1. Epist. I. 11. testatur liquidissimè, quod in Prophetis protestatus sit de Christi futurâ passione ac gloria*. Unde constat, illam oppositionem *Ebr. I. 1. OLIM & NOVISSIMIS* diebus non simpliciter, sed *secundum quid intelligendam esse,*

esse, nec λαλιὰν τῷ θεῷ novissimis temporibus denegari, etsi eadem per alios, præter Apostolos & homines DEI 2. Petr. I. 2. αἰῶνος facta non sit: & aliud sit alloquium DEI in Filio ἀτάκτως quod fuit tempore V. T. aliud in Filio ἐνοσίχμητος, quod pertinet ad N. T. tempora.

VIII. Porro in explicatione doctrinæ Christi haud leviter errat Curcellæus cum Socinianis, quando Evangelium, quæ à lege distinguitur, vera dicit mandata continere, idque concione Christi Matth. V. probat, quod legis Mosaicæ præceptis sua Christus opponat. Nam sola loci inspectio docet, non Mosis verbis sua opponere Christum, sed depravationibus Pharisaicis, in quibus reprobandis totus ibidem occupatur. Nusquam enim lege Mosis morali odium inimici præcipitur, sed jubemur amare proximum quemcumq; sicut nos ipsos, juxta ipsius Christi interpretationem, legisperito Luc. X. traditam.

§. IX. Falsum etiam & naturæ Evangelii prout ea à S. Apostolo explicatur 2 Cor. III. contrarium, quod §. IX. ait, minas gravissimas in Evangelio contineri ignis æterni, quæ non habeantur in lege: Nam illæ comprehenduntur sub maledictione legis, Deut. XXVII. 26. neque ad Evangelium, quatenus id legi opponitur, pertinent. Est enim illud non ira, sed gratiæ concio.

§. X. Interim falsum est, quod in lege, si aperta & expressa ejus verba respicias, nulla habeantur promissa, nisi moralia, & hujus vitæ terminis inclusa, etsi sensu mystico sub rerum corporalium figuris ibi representata sit æterna felicitas, eamq; expectarint pii, Apostolo Ebr. XI. docente. Nam ipsam vitam æternam in lege promissam esse Christus apertè docet Luc. X. 28. quod etiam à Paulo factum Gal. III. 11. 12. etsi sub conditione non fidei in Christum, quam requirit Evangelium, sed legis, & quidem ejusdem perfectæ obedientiæ, (sub qua etiam Curcellæus in Evangelio vult promitti salutem,) ea his qui eam perfecte implent, promittantur.

§. XI. Falsum etiam est (quod itidem è lacunis Socini, non ex Israelis fontibus hausit Curcellæus) quod nulla peccata expiata sint sacrificiis legalibus, nisi leviora. Contrarium enim non tantum è festo expiationis anniversario Lev. XVI. constat, sed etiam è Lev. III. & V. Capp.

§. XII. Illa etiam distinctio legis & Evangelii, quod Evangelium tam perfectam sanctitatis & justitiæ normam contineat, ut nihil ei addi queat, lex autem moralis rudimenta tantum pietatis contineat; quodque perfectiora fieri à nobis opera possint, quam lex illa præscribat. Pelagianam

nam, & Socinianam lucernam redolent. Quid enim perfectius esse potest, præceptis illis Mosaicis: *diliges Dominum DEUM tuum ex toto corde, ex tota mente, ex tota anima, & ex omnibus viribus tuis, ac proximum tuum sicut te ipsum* Deut. VI. 5. & Lev. XIX. 18. juxta ipsiusmet Christi calculum Matth. XXII. 31. & Pauli suffragium: quod lex post lapsum verè præstita nobis impossibilis sit Rom. II. 3. 4. quodq; jugum legis nobis *ἀβάρατον* planè sit, uti decretum fuit in Concilio primo Apostolico Hierosolymitano Act. XV. 10.

§. XIII. Porro confirmationem Doctrinae Christi tribus præcipuè factam dicit modis, (1) perfectissimâ vitæ sanctimoniâ, (2) omnis generis miraculis, (3) morte acerbâ & ignominiosissima, quæ I. Joh. V. 6. comprehensa ait: *per spiritum miracula per spiritum acta: per aquam morum puritatem, & innocentiam, Ebr. X. 22. per sanguinem v. illum, sanguinem quem in cruce una cum anima effudit, intelligens.* At spiritum de miraculis hic intelligendum esse, probari non potest, quum Spiritus per Metonymiam receptam dicatur *Ministerium spiritus*, nec aqua uspiâ innocentiam & Ebr. XII. 22. aquam potius, quâ abluimur in Sacramento Baptismi notet: per sanguinem deniq; non mortem Christi, in qua cum anima sanguinem effusum esse temerè dicitur; sed sanguinem Christi in Sacramento Eucharistiae nobis administrandum intelligat. Quæ sunt tria illa testimonia, Ecclesiae perpetua, quæ nos de gratia DEI certos reddunt, morte Christi partâ, ut & de salute nostrâ æternâ: *Verbum nempe Evangelii, Sacramentum Baptismi, & Sacramentum Eucharistiae.* Conf: I. Cor. XII. 13.

SECTIO II.

DE MUNERE CHRISTI SACERDOTALI.

§. II. **Q**uod ad munus Sacerdotale Christi, quod oblatione, & intercessionem constare rectè quidem Curcellæus dicit sed oblationem in terris tantum preparatam fuisse, in Cælis verò plenè peractam, cum Sociniani pessimè docerent C. XIX. Quamquam verò hic ad oblationem Leviticam provocet §. II. ad eam tamen constituendam *maculationem* non requisitam fuisse, falsò contendit: quia *maculatio* æquè ad substantiam sacrificii pertinebat, uti oblatio, quæ igne fiebat; nec minus temerè ad eius probationem locus Rom. X. II. 1. adducitur. Ibi enim de Sacrificiis *spiritualibus* sermo est, quæ viva dicuntur

cuntur, in *virtutibus* ad sacrificia Levitica, ubi non viva sed mortua jam animantia immolanda erant. Nihil etiam ea ad *sacrificium* Christi faciunt, quod *toto genere* diversum erat à Sacrificiis Leviticis. Quod prætereà falsò demum peractum dicitur, cum Christus se ex morte redivivum Patri obtulit. Non enim post resurrectionem sese obrulisse dicit Scriptura Christum, sed in morte ipsa, quum post expiationem peccatorum consedit ad dextram Majestatis in Coelis *Ebr. I. 3.* Aliud autem est *hæc oblatio* Christi, aliud *intercessio*. Illa facta est morte Christi, hæc *fit*, postquam in Coelos ascendens coram vultu DEI comparet, *Ebr. IX. 24.* Et quum oblatio in ara fiat, quomodo ea in Coelis fieri potest, ubi ara nulla est? Quum oblatio consumatur *igne*, quomodo oblatio potest consummari in Coelis, ubi ignis non est, nec igne accenditur Corpus Christi glorificatum? Quid? quod Christus dicatur se obtulisse in odorem suavitatis, *tradendo se in mortem pro nobis Eph. V. 2.* & peccata in corpore suo super ignem *ἀνθρακῶν 1. Petr. II. 24.* Id ergò quum factum in cruce, quomodo in coelis fieri dici potest? Ibi enim amplius non patitur. Adde, quod jam *consummata* omnia in cruce sint *Job. XIX. 30.* & quod Christo sacrificium pro peccatis obtulerit, æternùm valiturum cum ad dextram DEI consideret, unòq; sacrificio tum perfecit omnes qui sanctificantur *Ebr. X. 10. 11. 14.* Adde his *5. Cor. V. 21. Es. LIII. 10, 11. 12.* & vide, quam futilia sunt, quæ adversus testimonia illa Curcellæus attulit §. II. IX. non digna, quibus immaoremur.

§. II. De *Intercessione* etiam Christi Socinianis assurgit §. XII *cam* ita *figurato loquendi genere vocari*, quod Christus *virtute sanguinis*, quem effudit in cruce compareat coram DEO, ut nostram salutem procuret, & potestate quam ab illo accipit, peccata fidelium suorum expiet, ne propterea in condemnatione veniam. At non esse recedendum à proprietate verborum absq; evidenti necessitate monuerat suprâ Cap. XVI. §. II. Curcellæus ipse. Cur ergò in illis Scripturæ testimoniis, quæ de *intercessione Christi* loquuntur, à proprietate verborum ad figuratum loquendi genus sese abripit, utpote *Rom. IX. 30. 1. Job. II. 2.* Et quænam est illa figurata intercessio? Videtur, inquit Curcellæus, quod hac voce *S. S. usus*, ut designaret Christum, potestatem illam, quæ peccata nobis condonat, & alia, quæ ad salutem nostram pertinent, procurat, non ex se ipso habere, sed DEO Patri acceptam referre. Sed eâ ratione omnia, quæ potestate à Patre acceptâ peregit Christus, dicendæ erunt intercessiones, utpote *miracula, remissio pec-*

sio peccatorum, excitatio mortuorum, expulsio demonum, quod verò ineptissimum est. Et quis non intelligit, quam diversa illa sint, potestatem expiandi à DEO, Christum accepisse, & Christum apud Patrem intercedere pro peccatorum nostrorum expiatione.

§. III. Sed ut error errorem parit, pergit Curcellæus; Christum non satisfacisse pœnas, quas peccatis nostris merueramus patiendo, nec id ad sacrificii rationem pertinere, nihilq; cum ea commune habere. At verò Christus ita peccata nostra in se suscepit, ut pœnas nostras sustineret, animamq; suam in sacrificium daret pro nobis Es. LIII. 2 Cor. V. 14. seqq. &c. Si vero Christus non luit pro nobis pœnas, quas nos meriti eramus, annon nobis luendæ omnino erunt? Quod verò dicit Curcellæus, Deum potuisse solo nutu peccata omnia nobis remittere, id iustitiæ divinæ penitus contrariatur, quæ omnino postulabat satisfactionem, & quia offensus erat DEUS peccatis, reconciliationem poscebat, ut in gratiam cum ipso rediremus, quam nobis peperit Christus passione sua cruentâ, & sanguine suo Rom. V. 10 Eph. I. 7. Col. I. 14. Quod a. instat Curcellæus, sacrificia non esse solutiones debitorum, apparere ex legalibus sacrificiis quia pecudes quæ mactabantur pro peccatorib; nō luerint pœnas illorum nec sanguis earum λύτρον sufficiens fuerit pro anima hominum: id repugnat maximæ divinæ sacrificiali Levit. XVII. 11. sanguis pecorum est expiatio pro vita hominum. Etsi ergò pecorum sanguis per se sufficiens λύτρον non fuit, imò nullum: fuit tamen sufficiens ex instituto DEI, & id non ex se, sed intuitu expiationis per sanguinem Filii DEI perficienda, qui portare debebat peccata mundi Joh. I. 29. & propitiatio fieri pro peccatis omnibus omnium hominum I. Joh. II. 2. Quatenus ergò cum fide in hanc propitiationem futuram typica illa sacrificia offerebantur, movebant DEUM ad condonandum peccatoribus iniquitates, pro quibus offerebantur. Nam sacrificiis & oblationibus illis studebant vi divinæ sanctionis in V. T. flectere Deum ad misericordiam, & obtinere ab eo remissionem admissorum, ut fatetur Curcellæus ipse §. XV. unde istam formulam, quæ sæpè reperitur in Lege appositam expiationi peccatorum, quæ fiebat per sacrificia, ET DIMITTETUR, ortam esse fatetur Curcellæus, adductis locis Levit. IV. 26 34. 35. C. V. 10. 16. 18. Num. XV. 28. quam alibi quoq; occurrere haud diffitetur §. XV. Quid? quod etiam agnoscat ille C. XX. §. X. Deum interveniente Christi oblatione eo usque fuisse peccatoribus placatum, ut plenam omnium peccatorum remissionem illis largiretur.

F

§. IV.

§. IV. Quod enim reconciliationem illam, propitiationem, remissionem, redemptionem duplicem esse §. X. dicit; Unam imperfectiorem, quæ antecedit fidem & resipiscentiam nostram; alteram perfectiorem, quæ sequatur, commentum est; ad elidendam veritatem excogitatum: neque Rom. V. 9. seqq. id continetur, sed in locum illum illustrissimum, omnino contra regulas bonæ interpretationis, invehitur. Et ubi obsecro in scripturis reperitur illa duplex reconciliatio? ubi legitur propitiatio Christi imperfecta? ubi remissio peccatorum divina imperfecta? ubi imperfecta Domini, & Redemptoris nostri redemptio? Mera hæc figmenta sunt, Scripturæ depravandæ, fidei pervertendæ causâ inventa. Quibus tam præclara utriusq; Testamenti dicta de satisfactione Christi corrumpuntur; quàm verò imperfectam dicere, oppositum est in appposito. Neq; benignius tractantur Christi verba intercessoria Luc. XXIII. 34. *Nihil ergo aliud, inquit Curcellæus §. X. petiit Christus pro crucifixoribus suis sceleratis, nisi ut DEUS diffunderet in eos subito iram suam, prout meriti erant:* Non enim sub conditione emendationis vitæ expetiit Christus peccatorum condonationem, sed ut ex gratia mera propter suam intercessionem, & propter meritum passionis suæ, illis, qui in se credituri erant, peccata remittat, ut vitam emendantes in justitia & sanctitate verâ sibi deinceps servirent. Nec aliter usquam remissio peccatorum nostrorum describitur, aut justificatio nostra. Bona opera enim non præcedunt justificationem, aut justificandum, ut eam consequatur, sed sequuntur justificatum: ut habet notissima Augustini Regula passim recepta.

§. VI. Sic pervertitur etiam insigne illud Esaiæ vaticinium Cap. LIII. *Ipsè vulneratus est, propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra: Disciplina (seu castigatio) pacis nostræ super eum & livore ejus sanati sumus. Item. Posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum.* Has enim phrasès aliquid tantum pænæ affine sonare dicit Curcellæus § VIII. non verò Christum pro nobis punitum esse, vel pœnam nostram subiisse, inferre, imò id proprio sensu falsum esse, ait, quia pœna peccati vindicta, seu malum passionis est quod pro malo actionis retribuitur, ideoq; Christum non posse justè à DEO puniri, contendit, quia nulla in eo est peccati labe. Sed quæquam propria culpa in Christo nulla sit, nostram tamen eidem imputatam esse, negari non potest. Id enim verba Prophetæ luculenter docent: *nos omnes erravimus ut oves, at Dominus posuit in ipsum iniquitatem omnium nostrum;* id. m. testatur Apostolus 2. Cor. V. 21. *Deus enim, qui*

qui non novit peccatum, peccatum fecit pro nobis, & Galat. III. 13. *Christus pro nobis factus est peccatum.* Quæ dicta in Bibl. Illustr. & Socinism: proflig. vindicata leguntur.

§. VII. Quo facit Pauli testimonium de justificatione hominis Rom. II. 24, 25. *justificati gratis, per gratiam DEI, per redemptionem, quæ est in Christo Jesu, quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem justitiæ suæ propter remissionem præcedentium delictorum.* Ubi quidem Curcellæus constructionem immutans, non id significari vult, nos fidem in sanguinem Christi collocare debere, etsi clare id verba Apostoli testentur, sed Christum nostrorum peccatorum propitiationem fecisse interveniente sanguinis sui effusione, nos verò tum demum istius propitiationis fructum percipere, cum in Christum & ejus Evangelium credimus, atq; ex ejus præscripto vitam componimus. At ubi vel apex saltem hujus conditionis de vita ex præscripto Evangelii componenda, vel emendanda hoc in loco reperitur? annon potius illa conditio palam removeatur & excluditur, cum demonstrat, & concludit Apostolus, *hominem fide justificare SINE OPERIBUS LEGIS* v. 28. Porro ubi nam Evangelium conditionem illam postulat? Quæ utiq; ad legem pertinet, non ad Evangelium, ad justificationis fructus, non ad *ωραυελυενα* vel *requisita* justificationis nostræ, utpote quæ gratis, & ex gratia nobis obtingit, adeoque non per opera Rom. XI. 6. per propitiationem Christi, quem nobis *ιλασηριου προεθετο ο θεος, δια πισεως εν τω αυτη αιματι* per fidem in sanguine Christi, idque *εις ενδειξιν της δικαιοσυνης αυτης* ad demonstrationem vel ostensionem justitiæ suæ: vindicatricis utiq; quâ ultus est in Christo peccata nostra non verò, ut pervertit mentem Apostoli Curcellæus, *justitiæ in servandis promissis sitæ*, etsi admittatur, respicere Apostolum *justitiæ DEI sine lege manifestatæ*, hoc est, justitiæ in Christi DEI benedicti in secula super omnia, quæ sine operibus legis manifestatur, & obtingit nobis. Est enim illa DEI justitiæ, quæ *αφ' πισεως ιησου χριστου εις παντας, καὶ δι' παντας τους πισευοντας* venit vers. 21, 22 quæ est *justitiæ fidei*, quæ imputatur ad justificationem sine legis operibus Cap. IV. 6 Phil. III. 9. *obediencia Christi* perquam justii constituuntur qui justificantur Rom. V. 19. de qua *Esaiæ LIII. 11. Hab. II. 4.* (Conf. Rom. I. 17. Gal. III. 11. Ebr. X. 28.) *Job. III. 36.* quæ loca huic nostro ceu parallela adjecit ipse Curcellæus in Editione sua Novi Testamenti Amstelodamensi Rom. I. 17. Conf. Act. X. 43. Rom. X. 4.

§. VIII. Similiter pervertitur locus i Job. I. 7 si in luce ambulamus,
 sicut DEUS est in luce, societatem habemus ad invicem, & sanguis Jesu
 Christi filii eius emundat nos ab omni peccato. Nam ibi resipiscentiam, &
 vitæ emendationem, ac fructus pœnitentiæ dignos reperiri vult: idq; esse
 ambulare in luce, seu opera lucis facere, si cupiamus emundationem à pec-
 catis invenire in sanguine Christi, id est, in oblatione, quam, postquam fu-
 dit sanguinem in Cruce, offerat pro nobis. At nostra resipiscentia, nostra
 vitæ emendatio nostri fructus pœnitentiæ digni, nostram ambulare in lu-
 ce, si juxta Glossam Arminianam intelligatur, opera lucis facere, nihil fa-
 cit ad emundationem à peccato, quæ unice facta est per sanguinem Chri-
 sti in lutionem peccatorum nostrorum Matth. XXVI. 26. Eph. I. 7. Col. I.
 14 non in oblatione, quam adhuc pro nobis offert, sed quam in cruce
 obtulit, cum expiationem peccatorum, non sane imperfectam, sed per-
 fectissimam fecit, per semetipsum passione sua, idque antequam conside-
 ret ad dextram Majestatis in excelsis Ebr. I. 3. unâ enim ista oblatione
 PERFECIT in perpetuum omnes qui sanctificantur Ebr. X. 14.
 Nec v. per nostra lucis opera, sed per obedientiam Christi, activam &
 passivam justî constituimur, postquam dñs εὐσεβείᾳ διὰ τοῦ αἵματος (Chri-
 sti) SATISFACTIONEM, εἰς πᾶσι τοῖς ἀνομιώτοις ἐν δικαιοσύνῃ
 gratia DEI obtenta est Rom. V. 18, 19. Per fidem in Christum fruimur na-
 gapiuō & αἵματι τοῦ sanguinis Christi emundationis, & purificationis,
 quando in luce ambulamus, habemusq; Lucem vitæ Joh. VIII. 12. quod
 fit, cum lucē Christi non respicimus sed suscipimus per fidem, quia illi qui
 credunt in nomen eius, potestatem dat, ut evadant filii DEI Job. I. 12. filii
 n. DEI sumus omnes, per fidem in Christo Jesu Gal. III. 26. adeoq; & here-
 des secundū promissio. ē æternæ nempe vitæ veræ. 29. Gal. IV. 6. Rom. VIII.
 17. in luce ambulare est veram lucem, quæ Christus est per fidem ample-
 cti, vel lucem Veritatis Evangelicæ ut Schiebtungius explicat, per fidem
 suscipere, & in eadem permanere: vid; Comment. noster in h. l. in Bibl.
 illustr. p. 1596.

§. IX. Tendunt autem istæ corruptelæ omnes eò potissimum, ut
 negetur satisfactio Christi; & intercessio ejus evertatur, vel figurata lo-
 quutione veritas ejusdem labefactetur. Quum enim nec remissionem pec-
 catorum, nec expiationem, nec propitiationem, nec reconciliationem, nisi
 imperfectam concedat, nec pœnarum nostrarum perpesionem admittat,
 à Christo exantlatam, quid certius quàm satisfactionem pro peccatis ipsum
 negare?

negare? Et quum disputet sacrificium Christi non fuisse *solutionem*, Christum non esse passum *mortem infernalem*, quam nos merueramus, pro nobis; nos enim aliàs *plus debituros Filio, quàm Patri*, Item: *DEUM non posse dici propriè de suo jure remisisse nobisque peccata propriè condonasse si ea qua nobis contingit remissio, in solidum uni Christi merito accepta ferenda foret, nec posse Deum pœnas incredulitatis aut ingratitude nostræ amplius exposcere* C. XIX. §. XV. XVI. XVII. XVII. nihil etiam *supercesse, quod Deus nobis gratuito remittere posset; neq; Christum sponso-rem nostrum apud Deum fuisse* §. XVII. XIX. neq; *maledictionem nostram in se transtulisse Christum* &c. Sed his immorari jam non vacat.

SECTIO III.

DE OFFICIO CHRISTI REGIO.

§. I. **A**nte mortem & Resurrectionem Christum tantum destinatione Regem fuisse, asserit Curcellæus Cap. XXI. vers. 1. & solo titulo; quod quia Socinianum est Sect. VI. subsect. II. Artic. III. Tit. 1. Quæst. 2. p. 625. seqq. in Socinismo profli- gato confutatum jam est, ideò hic novâ refutatione opus non est. Nota- mus tantum, quod Curcellæus ipse fateatur, quod *Christus in vita sua jam imperarit arboribus, piscibus, mari, ventis, morbis, & ipsis demonib9 & omnes paruerint ipsi* §. I. quæ utiq; docent exercitio, non destinatione tantum & titulo, Regem jam in vita fuisse quemadmodum & ab Angelo *Christus Dominus* Luc. II. 10. annunciatus, & à Magis *Rex* prædicatus & *ut Rex adoratus est* Matth. II. vers. 2. seqq. seq; ipsum etiam in passione ex vero *Regem* professus est Joh. XVIII. 15. & titulo *Regis judæorum* in cru- ce ornatus, inq; eadem *Regno consecravit latr. nem*, fatente Curcellæo l. c. Ut taceam quod *gloriam & claritatem* jam habuerit apud Patrem, *an- taquam mundus esset* Joh. XVII. 5. quæ ad *πᾶν τὸ πλῆρωμα* Col. II. 9. quod in Christo statim habitavit, cum natus est, pertinet: & testatus sit, *omnem sibi potestatem in Cœlo & in terra datam* esse jam ante Ascensio- nem in Cœlum Matth. XXII. 18. imo ante passionem Joh. XIII. 3. de ipso dicatur, quod *sciverit Patrem sibi omnia in manus suas dedisse*, quod de ipso etiam professus erat Proto-Baptista Joh. III. 35. Taceo etiam quod

quod in V. T. jam Messias Rex in Sion Psalm. II. v. 6. dictus sit, & beati prædicati, qui in eodem confidunt v. 12. quod elogium sensu literali in Davidem quadrare §. VI. perperam affirmat Curcellæus: quomodo n. magna illa super humanam sortem Regi isti attributa, quod *possessurus sit terra fines* (quod repetitur Psalm. LXXII. v. 8. 9.) quodq; beati sint, qui in eo confidunt, de Davide, sensu literali, intelligi possunt? Conf. Jerem. XVII. 5.

§. II. Porro Christum *sedere in Cælos ad dextram DEI, ut hominem*, agnoscit Curcellæus, & fatetur, *dextram DEI ubiq; esse*: negat autem, *Christum hominem ubique esse* §. IV. Sed quia *virtus & potestas DEI ubiq; est*, & Christus homo imperium & potestatem divinam habet, *nullis locorum spatiis inclusam & nullis exclusam* Pl. CXXXIX. Jerem. XXIII. 24. quomodo negari potest, Christum hominem ubique regnare, adeoque etiam ubique præsto esse? cuius imperium non *absentis* est, sed *presentis*, & cuius natura humana in ipsâ Personâ divinâ subsistit hypostaticè. Unde exceptio, quam more Calviniano adfert §. IV. *de gemma intime connexa annulo, nec tamen æquale spatium cum annulo occupante: & de Amsteldamo sita ad Oceanum, nec tamen æque late patentem atq; Oceanus*; in spongiam incumbit.

§. III. Nec exiguus error est, quando Curcellæus C. XXII. §. 9. *Regnum Christi ita saltem æternum dicit, quia ad finem usque seculi huius duraturum est, & nullum in eo successorem habiturus est, sicut alii omnes terra Reges*. Quod cum Esaiæ IX. 7. Luc. I. 31. Dan. II. 44. Apoc. XXII. 5. nunquam conciliabitur. Observamus hic argumentum ipsius Curcellæi, ex postremo loco: *quandoquidem illi (electi) regnaturi sunt in secula seculorum* Ap. XXII. v. 5. multò magis ipse Christus, licet non eodem modo, quo nunc facit, ubi in medio inimicorum regnat, & multi adhuc se ejus jugo subicere detrectant.

§. IV. De Regno Christi millenario tres opiniones recenset Curcellæus, quas reprobat: utpote eorum qui *jam elapsum esse* dicunt: Eorum, qui *eiusmodi Regnum terrenum* expectant, quas itidem, licet non absque *ἐαυτομαχίᾳ*, refellit, cum Christum *non ante ultimum iudicium descensurum* c. XXII. §. 4. affirmat. Absurdam verò rectè & natura regni Christi contrariam iudicat illorum opinionem, qui putant Christum *regnaturum cum suis in terra, fruendo omnibus deliciis carnalibus, quales sunt cibi, potus & similes, etiamsi de licitis tantum & honestis voluptatibus*

ptatibus illud intelligat. Quod vero illam opinionem approbat, quâ statuitur, promitti fidelibus *requiem & felicitatem in terris ante ultimum Christi adventum* ad iudicium, eamq; probare fatagit ex Es. II. XI. XXVI. XXVII. XLIII. LX. Jer. XVI. XXIII. XXX. XXXII. Et XXXVI. Dan. II. XII. Os. III. Mich. IV. *Soph. III. Zach. XII. & XIV.* in eo mera *ψευδῆς γνώμης* deprehenditur. Dicta enim illa aut de *felicitate in Cœlis* loquuntur, non *in terris*, aut de *reqvie & felicitate spiritali*, sub *primū adventum* Christi, & in Regno eius mystico in Ecclesia, non vero de *adventu novissimo*, & Regno ante ultimum adventum ad iudicium cum fidelibus in hisce terris erigendo.

§. V. Nec de eo *Matth. XXIII.* aut *XXIV. Capp.* nec *Luc. XXI.* nec *2. Cor. III.* ea traduntur, quæ hîc somniat Curcellæus. Et quæ ex locis aliquot Apocalypticis §. XVI. adducit, Commentis ejus parum conveniunt.

§. VI. Quod verò ad illustrem illum locum *Rom. XI. 25. & 26.* attinet, de illo affatim in Commentario in *Bibl. illustr. actum*, nec quod istis, quæ dicta ibi sunt, adjiciamus, hîc dicendum habemus.

§. VII. De *ingenti multitudine Judæorum*, quæ pasim in *Europa, Asia, & Africa* conspiciatur, imò in *America, & novo orbe*, ex relatione *Antonii Montecinii, & Menassis Ben Israëli* libello, cui titulum fecit: *Spes Israëlis*, non est, quod dicamus, Nullius enim fidei sunt. De annis etiam *Daniel. XII. vers. 11. 12.* quos 2694. facit à Christo nato, adducens eos, qui mille annos Apocalypticos pacis Ecclesiæ incepturos dicunt Anno 1694. vel juxta alios anno 2694. nihil addimus, quæ *arcana temporum DEO* meritò relinquit Curcellæus: ἀτερ γὰρ ὁὐς tamen observat, *insigne aliquod Bonum Ecclesiæ in hoc Se. ulò à Daniele promitti, quo nondum fuerit potita.* §. IX. Cap. XXIII. quod nulli hæctenus, Danielis oraculum legenti vel per somnium in mentem venit.

§. VIII. Denique suæ sententiæ de *felicitate & requie in terris ante novissimum diem* non obstare, quod de *fidelium persecutionibus*, aut de *Anti-Christi destructione*; aut de *relaxatione à persecutionibus in ultimo Christi adventu prædicitur*, aut quod *ultimus Christi adventus ista opinione nimium differatur*, disputat Curcellæus Cap. eod. §. XVII. §. XIX. & XX. Sed pro more suo *Pyrrhonicè*, & nova tantum somnia, quibus hoc Caput scætet, proferendo, ut ad eò iis refutandis minimè opus judicemus, quin potius cum *spiritu & sponsa Christi* mystica iterum ingeminemus: *Veni Domine Jesu, veni. Gratia Domini nostri JESU CHRISTI sit cum nobis omnibus Amen!*

Faint, illegible text from a manuscript page, likely written in a Gothic script. The text is oriented upside down relative to the page's binding.



05 A 546

ULB Halle 3
004 208 390



W 07

04







Inches 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 8
Centimetres

B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

SOLEMNIS,
OFFICIO
STI,
RCELLÆUM,
TATIS THEOLOGICÆ,
ITTEBERGÆ EST,
ATE,
E
MMATISSIMO,
FICO, AMPLISSIMO, AT QVE
SIMO
D CALOVIO,
ngè celeberrimo, Ecclesiæ
Consistorii Assessore Seniore
Saxon. Superintendente
cc. &c.
orum Promotore incomparabili,
lo, ac devenerando &c. &c.
NORUM DOCTORALIU,
RIO MAJORI
lo lœc LXXX,
EO,
Schwarze/
hilosoph. hætenus Adjunctus,
ardienfium SS. Theol. Pro-
ann. & Augustin.
Excud. Simon Sieberhirt.